10

VETERUM

TARENTINORUM

RES GESTAE.

SPECIMEN ALTERUM.

INEST PYRRHI EPIROTAE BELLUM.

COMPOSUIT

RUDOLPHUS LORENTZ,

PHILOSOPHIAE DOCTOR, GYMNASII LUCCAVIENSIS DIRECTOR.

ELBERFELDIAE

APUD HENRICUM BÜSCHLER.

MDCCCXLI.

Quod ante hos tres annos pollicitus sum, rerum a veteribus Tarentinis gestarum specimen alterum, oblata scribendi occasione, editum a me iri, id ut praestarem nunc factum est, non quidem citius quam vellem, sed ea de caussa accidit, quae omnium est tristissima. Quum enim is, cui dissertationis annalibus gymnasii praemittendae cura demandata esset, letalem in morbum incidisset, ut, corporis fractis viribus, neque ad docendi neque ad scribendi munus accedere posset, illius ego suscepi vices. Iam quae hoc novo specimine exponenda sint, qui alterum noverunt, facile judicabunt; restabant enim explicandae res Tarentinae, ad populi Romani memoriam quae pertinent cum aliae, tum Pyrrhi Epirotarum regis facinora atque Hannibalis Poeni militares artes. Atque illa quidem Epirotica non semel perscrutanda Niebuhrius, vir immortali memoria dignus, sibi proposuerat, sed dedita opera nec sine sua voluptate ter quaterve retractavit, cujus viri opus posthumum nunc admiramur et suspicimus. cf. hist. Rom. tom. III. 1832. praef. pag. VIII. In eo libro quae perscripta sunt, antequam legerem, historiae Tarentinae reliquiae ex scriptorum ruina indefesso studio a me collectae erant, quo factum est, ut multa aliter, atque ille constituit, et concinnata a me sint et judicata; quibus deinde operae Niebuhrianae fructus addendos quidem curavi, sed mea ut commutarem et rejicerem adduci non potui, quod rationem meam labefactari nequaquam mihi persuadebam. Dedi igitur quae conscripseram diligenter examinata, paucissimis locis refieta, brevissime exposita, sed addito fontium apparatu uberrimo, nec fore spero ut frustra opera a me consumta, et labor, cujus interdum me cepit taedium, exhaustus sit. De his videant peritiores, quos si in Epiroticis consentientes non habuero, in Punicis, quae constanti locupletissimorum auctorum testimonio firmantur, iidem quod in dubitationem vocent, non invenient, neque, opinor, reperient in iis, quae de Tarentinorum urbe, de maris sinu populisque finitimis composita, si fors tulerit, aliquando typis exscribentur.

SPECIMEN ALTERUM,

QUO VETERES TARENTINI, POSTQUAM CUM ROMANIS PRIMUM CONFLIXERUNT, QUID GESSERINT EXPONITUR.

1) BELLA SAMNITICA.

Quo tempore populus Tarentinus Alexandrum Epirotarum regem in Italiam arcessivit, eo primum aliqua ei cum Romanis intercessit conjunctio. Ac tunc quidem utraque gens nondum mutuis odiis exacerbata est; incitavit acrius Cleonymi bellum animos, licet Romanos existimandum sit, potius adversus ducem extraneum quam contra cives Tarentinos suscepisse inimicitias, id quod postea demum Pyrrhi regis temporibus factum est. Sed antequam magnum illud bellum Epirense conflaretur, gens Tarentina cum Romanis eorum bellorum aetate, quae fortiter Samnites, in Italia longe ferocissimi, cum illis et inierunt et sustinuerunt per quinquaginta annorum spatium (a. u. c. 411 usque ad a. 464) hostiliter conflixit [1]). Quibus bellis Romani, quum priori tempore populos finitimos subegissent, artis militaris in dies peritiores facti ad Italiae consequendum imperium viam sibi muniverunt; quod ipsum probe intelligentes Tarentini nihil habuerunt antiquius, quam ut amicitiam jungerent cum Samnitibus, nec dubito quin populum praepotentem, qui sibi contra Romanos foret propugnaculum, cum aliis beneficiis tum eo sibi conciliaverint, quod Samnites a Lacedaemoniis ducere originem commenti foedus firmarent cognationis vinculo. cf. Strabo lib. V. pag. 207 Tzsch. Liv. VIII, 27. Quo primum tempore Samnites et Tarentini foedere juncti sint, id quidem pro certo affirmari nequit, sed ad ipsius Archytae tempora si foedus revocavero (cf. Cic. de senect. 12.), a vero proxime abesse mihi videor. Deinde, quum Palaepolis [2]), Graecorum urbs, Samnitium societate freta, contra Romanos, qui Fregellas in agrum Volscorum deduxerant coloniam a. u. 426 [3]) (Liv. VIII, 22. 23. Dionys. Halic. XV, 4-14. Appian. Samnit. IV, 5.), bellum gerendum suscepisset, Romani quidem foedus percusserunt

1) Cf. Liv. VII. VIII. IX. X. Dionys. Halic. antiq. Rom. XV. XVI. Niebuhr hist. Rom. tom. III. Berolin. 1832. adde Ioann. Juvenem de antiq. et varia Tarent. fortuna V, 4.

2) Quae prope aberat Neapoli, diversas enim fuisse ab initio urbes, postmodum conjunctas in unam, probabile est; Cumis utraque originem repetebat. Raoul-Rochette colon. Graec. tom. III. pag. 120 sq. Ignarra de phratr. p. 194 sq. Niebuhr hist. Rom. tom. III. p. 206 sq.

3) Quum in priori specimine Olympiadum computatione usi simus, quae ad Romanos pertinent ex aera Varroniana constituimus.

cum Lucanis atque Apulis a. u. 428, quibus gentibus nihil ad eum diem cum populo Romano fuerat, sed Tarentini, quum eo fere tempore cum Alexandro Molosso debellatum esset, auxilia Palaepolitanis [4]) se missuros esse polliciti sunt. Liv. VIII, 25. Niebuhr. hist. Rom. tom. III. p. 208. Nihilominus Romanis ipsorum civium Palaepolitanorum proditione contigit, ut caperent urbem, quae postea singularem iis fidem praestitit. Liv. VIII, 26. [5]) Tarentini quum rem Palaepolitanam vana spe auxilii aliquamdiu sustinuissent, postquam Romanos urbe potitos esse acceperunt, furere ira et invidia in illos, tentare omnibus modis, ut Lucanos ad abolendam societatem Romanam impellant. Id quod juvenum quorundam nobilissimorum ope iis ex voluntate cessit [6]). Statim igitur renovata societas Lucanorum et Samnitium Liv. VIII, 27, mox Vestinus quoque Samnitibus sese conjunxit ibid. 28; sed quae deinde acciderunt ad Tarentinos minus pertinent. cf. Micali Italia tom. III. p. 291 sq. Habet tamen nonnihil probabilitatis, navibus Tarentinos opem tulisse Samnitibus, qui oram Latinam devastarent Niebuhr l. c. p. 219, ipsique Samnites, si fides habenda est eidem Niebuhrio pag. 243, quanti foedus Tarentinum existimandum esset, non ignorabant. Romanos quidem bella continuo gerenda, quominus ulciscerentur Tarentinos, defectionis Lucanorum auctores, detinuerunt. Sex annis post a. u. c. 434 quum Romani, accepta in furculis Caudinis clade, ad Luceriam, a Samnitibus olim occupatam, hostes vicissent, Tarentini intelligentes bellum propius ad se accessurum esse, ut a certamine vix possent sese abstinere, legatos miserunt, ut bellum omitteretur, per utros enim stetisset, quominus discederetur ab armis, adversus eos se pro alteris pugnaturos esse. Sed Romani contemtui habuerunt vanissimam gentem, quae suarum impotens rerum prae domesticis seditionibus discordiisque, aliis modum pacis ac belli facere aequum censeret, ut ait Livius IX, 14. Vereor equidem, ne scriptor Romanus judex paullo iniquior fuerit Tarentinis, quibus, quum circa id tempus Agathoclem militum suorum ducem haberent maxime strenuum et fortem, in rerum discrimen adductis, asperius agendum esse videbatur. Neque igitur classem Tarentinam Acrotato Spartiatae datam, absonum est, si res in Sicilia gerenda prospere cessisset, potuisse adversus Romanos expediri. cf. Niebuhr l. c. p. 279. In bello Samnitico, quod tertium vulgo dicitur, Tarentinos neutri parti addictos fuisse colligimus cum Niebuhrio p. 319, exorto vero bello Etrusco

4) Neapolin (sic enim constanter pro Palaepoli) legatos Tarentinorum advenisse, Dionysius Halic. XV, 5 auctor est.

5) Probant loci scriptorum Polyb. VI, 14, 8. Vellej. I, 4, 2.

6) Niebuhrio quidem ea, quae Livius tradidit, parum probabilia esse videntur. hist. Rom. tom. III. p. 217 sq., sed vir magnus nonnunquam paullo suspicacior est.

et Gallico, a Tarentinis Etruscos, Gallos, Samnites, alios ad certamen cum Romanis incundum concitatos esse, licet ipsi arma non ceperint, auctor est Zonaras annal. VIII, 2, qui Dionem Cassium fragm. 144 ferme consentientem habet. cf. Niebuhr. pag. 498. de Kobbe hist. Rom. tom. I. pag. 333.

2) BELLUM PYRRHO DUCE CONTRA ROMANOS GESTUM.

a) FONTES AD HISTORIAM BELLI COMPARATI.

Accedimus ad bellum illud nobilissimum inter Tarentinos, Pyrrho duce, et Romanos gestum, quod quum in libris de rebus populi Romani conscriptis olim negligentius tractatum, ante hos paucos annos a Niebuhrio non sine magno judicii acumine expositum sit, nunc eo modo enarrandum est, ut scriptorum locis quam diligentissime adhibitis, quae ad gentem Tarentinam pertinent potissimum respiciamus, de belli caussis et principio disquisitionem uberiorem instituamus.

De rebus gestis, recensito fontium apparatu [1]), verissime judicabitur. Ut Ennium poetam annal. lib. VI. pag. 76-87 ed. Lips. hoc loco praetermittam, Plutarchum in vita Pyrrhi cap. 13-26, qui sua ex libris Hieronymi Cardiani [2]) transscripsit, et Dionysium Halicarnassensem, non integrum illum, sed in brevius contractum (libro XVII. XVIII. XIX.), rerum Tarentinarum existimatori perutilem primo loco ponam. cf. Heeren de font. Plutarch. pag. 72. Cum ipsum Pyrrhum regem ejusque filium Alexandrum constet scripsisse libros de arte militari Plutarch. Pyrrh. 8. Aelian. Tact. 1, tum Hieronymum (v. Plut. l. c. 21.) et Dionysium (XIX, 11.) ex Pyrrhi commentariis de rebus a se gestis hausisse Plutarch. Pyrrh. ed. Baehr p. XIV., silentio non praetereundum est. Scripsit praeterea de re militari Cineas, Pyrrhi familiaris Cic. ad fam. IX, 25, idem ille, qui in epitomen coegit Aeneae libros de tactica Aelian l. c. (cf. Voss. de histor. graec. p. 466 sq. Fabric. biblioth. graec. tom. IV p. 342 sq. ed. Harl.), quo fit, ut strategematum belli Epirensis copia apud Polyaenum, Frontinum, Valerium Maximum, Ciceronem, alios litteris consignata inveniatur. Pyrrho fere aequalis

1) In conquirendis auctorum locis me iis usum esse, quae Micalius Ital. tom. IV. p. 61-99 adnotavit, grato animo profiteor, licet mihi satisfactum non sit. Commendabiles a doctrina praeter illum sunt Simsonus chronic. ed. Wesseling. pag. 1109 sq., Pighius annal. Rom. tom. I. p. 429 sq. Bossi histor. Ital. tom. III. p. 328 sq.

2) Hic primus tractavit archaeologiam Romanam ἐν τῇ περὶ τῶν Ἐπιγόνων πραγματείᾳ Dionys. Halic. I, 6. cf. Pausan. I, 9, 10. Voss. de historic. graec. pag. 65 sq. St. Croix historiens d' Alexandre le grand ed. 2. pag. 40 sq.

Timaeus fuit (v. Goeller de situ et orig. Syracus. p. 181.), quem et ipsum scripsisse de bello a Pyrrho gesto auctores sunt Cicero epist. ad fam. V, 12 et Dionysius Halic. I, 12; hujus ex libris quantum delibarint et Dionysius et alii, incertum est. Non lautissimis fontibus videtur usus esse Trogus Pompejus apud Justinum XVIII, 1. 2., hic nescio utrum scriptores, qui successorum Alexandri Magni expeditiones enarrarunt, ante oculos habuerit, an Theopompum, qui belli Tarentini, quo loco de regno Epirotico in libris scripsit, mentionem fecisse existimandus est, an alium. cf. Heeren de fontib. Trog. in commentt. societ. Gotting. vol. XV. class. hist. pag. 223 sq. Pausaniam I, 12. 13. Hieronymi opus inspexisse, ex iis, quae ipse dixit 13, 8., constat. Livium in libris XII. XIII. XIV., quorum supersunt epitomae, sua transcripsisse ex antiquis auctoribus Romanis (cf. Dionys. Halic. I, 12) certe est probabile, nec Pyrrhi regis conscriptos de rebus suis commentarios adhibuisse videtur. v. Lachmann de fontib. Liv. comment. II. pag. 3. Appianus III, 7 sq. aut Plutarcho, aut iisdem, quibus ille, fontibus usus est. Zonaram annal. VIII, 2-6 fidem sequi Dionis Cassii scriptoris accuratissimi, cujus huc pertinent excerpta Peiresc. 37-42. Ursin. 144-146, ut plerumque in opere secutus est, propter aptam rerum expositionem conjiciendum est. Orosius non pauca ad verbum exscripsit e libellis L. Annaei Flori (I, 18) initio libri sui, qui ordine quartus est cap. 1-3; item Flori compilavit opusculum Jornandes in libro de regnorum successione (Muratori scriptt. rer. Italic. tom. I. p. 228 sq.), quem semel laudasse satis habeo. Denique mentio facienda est Eutropii II, 6-8, cujus verba, multis aliena manu interpositis, historia miscella (Muratori l. l. pag. 10 sq.) exhibet, Aurelii Victoris de vir. illustr. 35 et Augustini de civ. dei III, 17. In hac fontium ubertate superest, ut doleamus nullum ita profluere, ut ceteris carere possimus, idcirco, quum materia sit largissima, jubet nos brevitatis studium idoneo potius rerum ordini consulere, quam de singulis rebus fusius exponere.

b) BELLI CAUSSAE ET INITIUM [3]).

Post bellum Cleonymi Lucani et Bruttii, quod Graecos suis viribus diutius obniti non posse intellexerant, parum laxamenti dabant hostibus. Atque in Tarentinos quidem novas inimicitias non videntur suscepisse, quoniam illi, ut Lucanos adversus Romanos socios sibi adjungerent, enixe faciebant Niebuhr tom. III. p. 508., sed Thurios, olim bello petitos (Heynii opusc. acad. tom. II. p. 141.), Statilio duce adorti sunt. Quo facto cives Thurini

3) Vide Ioann. Juvenem libro laudato V, 5-13.

auxilia rogantes Romanos, quod voluerunt, facile impetrarunt; missus enim est C. Fabricius consul[4]) cum exercitu a. u. c. 472, quem ipsum Martem fautorem nactum esse et adjutorem, aetas sibi persuadebat. Dionys. Halic. XVIII, 5, 17. Valer. Maxim. I, 8, 6. cf. Ammian. Marcell. XXIV, 4. Niebuhr. l. c. pag. 511. Iam Tarentini, qui studiosissime id egerant, ut Romanos a finibus suis prohiberent, urbem vicinam cum iis societate junctam esse indignati, simul Thurinis succensentes, quod ipsi Graeci non ad Graecos confugissent, sed alienae gentis auxilium implorando homines barbaros in oram Graecorum pellexissent, cives principes Thuriis ejecerunt, urbem diripuerunt, praesidium vero Romanorum incolume dimiserunt. Appian. Samnit. VII, 1. cf. Strabo lib. V. p. 245 Tzsch.[5]). Thurii quam mox a Romanis in fidem recepti sint, nescimus. Heynii opusc. tom. II. p. 142 sq.

Quae quum in hunc modum gesta essent, caussam attulerunt bello inter Romanos et Tarentinos exardescenti; accessit aliud momentum eodem tempore vel paullo ante[6]). Etenim Romani Thurinis, nisi fallimur, opitulaturi Niebuhr. p. 511 sq. naves decem miserunt duce Cornelio, qui Magnam Graeciam observaret, dum ipsi, finitis bellis Samniticis cum Gallis confligunt Polyb. II, 19 sq. Liv. epit. XII. Appian. III. eclog. 6. Eutrop. II., 6. init., nec metu carent defectionis et Lucanorum et Bruttiorum. Advenientibus Romanorum navibus, Tarentini in theatro diem festum celebrabant, vel comitia peragebant Niebuhr. p. 512; tum Philocharis, vir popularis, ob malam vitam Thais cognomine appellatus (Dionys. Halic. XVII fragm. 6. mutilum), adspectis navibus, hominibus ad iram et lasciviam propensis ut Cornelio obviam irent persuasit, neque illi cessarunt. Quattuor naves demersae, una capta, duumvir, qui classi praeerat, occisus, milites navales trucidati, remiges servi facti. Appian. Samnit. VII, 1. Liv. epit. XII. Dio Cass. fragm. Ursin. 145. Zonar. VIII, 2. Flor. I, 18. Oros. IV, 1. Non haberet hoc facinus, quo excusaretur, nisi Appianus l. c., scriptor alioquin parum diligens, sed interdum egregiis fontibus usus (Niebuhr. tom. II. p. 366 ed. I.), fuisse antiquam inter Romanos et Tarentinos pactionem[7]), ne illi superato Lacinio promontorio sinum Tarentinum navibus ingrederentur, memoriae prodidisset. Illius pacti cives in theatro congregatos, sicubi adremigantem littori viderunt classem Romanam, Philocharis haud dubie commonefecit. Fa-

4) Is propter victoriam a Thurinis statua donatus est. Plin. XXXIV, 15. Romanos jam ante illud tempus, finitis bellis Samniticis, opem tulisse Thurinis, colligimus ex Plinio l. c. et Liv. epit. XI.

5) Strabonis locum male explicavit Mazocchi ad tabul. Heracl. p. 52. cf. Niebuhr. p. 513.

6) Orosius IV, 1 perperam posuit annum u. c. 464. cf. Niebuhr. loco modo laudato.

7) Nescio an propter piratas factam. Niebuhrio tom. III. p. 318 istud foedus ad Cleonymi tempora referenti vix adstipulor.

elle igitur intelligas, cur Romanos Thuriis Tarentini statim abegerint, quippe quos contra pactum agere vidissent, patet etiam, cur Thurini spe auxilii maritimo itinere advenientis destituti Tarentinos in urbem admiserint, excusantur denique quae postmodum a Tarentinis, pacem cum Romanis servari non posse sibi persuadentibus, perpetrata sunt.

Romani, licet ipsi bello gerendo materiam praebuissent, pro more suo speciem affectantes, aliorum potius violentia coactos quam sponte sua bellum se suscipere, neque aliud se velle, nisi injuriae sumere vindictam, miserunt, qui de injuria quereretur legatum Postumium, idque quo magis senatus magnum quod oriretur bellum metuere videbatur (Niebuhr tom. III. p. 514), eo libentius fecerunt. Tarentini in theatro congregati, ut mos erat Graeciae Val. Maxim. II, 2, 5 *ibiq.* Kapp., non eo honore, quo digni sibi videbantur legati Romanorum, Postumium acceperunt, ridentes enim virum gravissimum, si quid praeter accuratas sermonis Graeci leges diceret, barbarum non tantum appellarunt, sed tandem e theatro ejecerunt. Quid quod abeuntem cum sociis legatum Philonides homo ebrius foedissima injuria affecit? Dionys. Halic. XVII, 7. Appian. Samnit. VII, 2. Dio Cass. fragm. Ursin. 145. Liv. epit. XII. Polyb. I, 6, 5, ex eo Suidas s. v. *τήβεννα. λύματα.* Flor. I, 18, 5. Oros. IV, 1. Zonar. VIII, 2. Ut excusari nequeat effrenata licentia plebis Tarentinae ipsi Philonidae plausum dantis Dionys. §. 8. Appian. l. c. cf. Wachsmuth antiq. Graec. I, 2 p. 405, reminiscaris oportet notissimae illius, quae esse solebat, legatorum Romanorum superbiae [8]) et legationis Tarentinorum olim male a Romanis acceptae. Liv. IX, 14. Praeterea ne prorsus contradicam scriptorum testimoniis, mirum tamen visum est, devictis Tarentinis, quod in legati togam commiserant scelus, minime sanguine ablutum esse, ut civibus Postumius denuntiasse fertur Dionys. l. c. [9]), sed clementiores, quam sperari posset, Tarentinis Romanos sese praebuisse.

Maritimo itinere quum Tarento legati excessissent, adfuerunt ad urbem sub initia consulatus Aemilii, cui Barbulae cognomentum est, a. u. 473., a Tarentinis responsum nullum ferentes, qua contumelia affecti essent exponentes. Coacto senatu multis continentibusque diebus, quid agendum esset, deliberatum est, videbatur enim multis, quamdiu Lucani, Bruttii aliique essent indomiti, bellum adversus potentissimam civitatem non capessendum esse, sed longe plures bellum protinus inferendum esse censebant, ut hostes prosternerent; quod quum a senatu consultum esset, populus auctoritate sua

8) Poscebat Postumius, ut captos Romanae classis milites in libertatem restituerent, quos Thuriis exegissent reducerent, quae eripuissent civibus redderent, ipsos consilii stulte capti auctores, plebis duces, Romanis traderent.

9) Legatum nihil dixisse auctor est Valerius Maximus II, 2, 5, Livium fortasse secutus. Niebuhr. p. 515.

comprobavit. Dionys. Haliç. XVII, 9 sq. Itaque bellum indicitur. Liv. epit. XII. Eutrop. II, 6. Pro Tarentinis, qui circumspiciebant socios, consurrexere populi finitimi Florus I, 18, 6, Lucani, Messapii, Samnites Plutarch. Pyrrh. 13, olim hostes, nunc communi in Romanos odio amici facti. cf. Münteri Velia pag. 57. Romanos, qui quantique hostes circumstreperent permetientes, ultima adegit necessitas, ut proletarios [10]) in arma cogerent. Postquam missis praesidiis ne socii deficerent cautum est, irruit in universos Tarentinorum fines Aemilius consul cum exercitu, qui, ferro ignique vastatis omnibus, Tarentum usque progressus, ut bellum componeret frustra tentavit, licet apud Tarentinos seniores iique opulenti sententiis suis discreparent a junioribus iisque pauperibus. Zonaras VIII, 2. 3. Oros. IV, 1. Constituti in rerum angustiis Tarentini, quum nec suas nec finitimorum copias ad repellendos impetus sufficere arbitrarentur, non sunt prioris aetatis exemplis deterriti, quominus aliena auxilia peterent. Data optione, postquam sententiae adversarii propulsati sunt, ducem belli et socium Pyrrhum sibi delegerunt, Epiri regem Appian. Samnit. VII, 3. Strabo lib. VI. p. 291. Tzsch. Zonar. VIII, 2., qui tantus rerum successu habitus est, ut solus Tarentinos adversus Romanos tueri posse videretur. Justin. XVII, 3, 22. Quae quum ita essent, Meto quidam Tarentinus, ut, oculis omnium animisque in se conversis, doceret, quid cum potestate regia in urbem liberam et beatam venturum esset, sedente universo populo, coronatus veluti e convivio in theatrum se contulit. Qui quum mulierem complexus tibicinam, amatoria (κωμαστικὰ μέλη cf. Aelian. de nat. anim. IX, 13) canentem conspiceretur, omnium studiis in risum solutis, atque aliis eum canere jubentibus, aliis saltare, circumspiciens manuque silentium indicens, postquam tumultum composuit, cives, inquit, quae modo me facientem cernitis, ea vobis in posterum facere non licebit, si regem ejusque praesidium in urbem receperitis. Deinde quum commotos sibique attentos videret multos audiendique cupidos, retenta crapulae specie, eventura illis mala enumeravit, sed ipsum dicentem pravorum consiliorum auctores comprehensum obtorto collo theatro extruserunt. Dionys. Halic. XVII, 13. 14, ex eo Plutarch. Pyrrh. 13. Tantum valuisse videtur Metonis consilium, ut Tarentini, ne diutius quam opus esset, in Italia Pyrrhus commoraretur, in foedere paciscerentur. Zonar. VIII, 2. Ceterum narratio illa ut plebis effrenatae imperium, ita singulorum civium in patriam amorem non minus probat, quam ea, quae de Phalantho heroe, urbis conditore altero tradita sunt, evincunt. Justin. III, 4. cf. de orig. vet. Tarent. pag. 51 sq. Metonem tantum abest, ut suae potius quam patriae saluti

10) De proletariis adi Niebuhrium hist. Rom. tom. I. p. 499 sq. ed. 3. Vocem explicavit Orosius IV, 1.

prospexisse largiar Niebuhrio, de foederis clausula secus statuenti tom. III. pag. 519, ut dignum illum civem habeam, qui aliqua ex parte compararetur cum Solone, populares ad Salaminem occupandam exhortante. v. Clavier. hist. prim. Graec. temp. tom. II. p. 346 sq.

Spretis, quae prudenter Meto monuerat, missi sunt identidem legati [11]), qui Pyrrhum auxilio vocarent, ut ipse, quod prae ceteris regibus esset in otio, magnamque belli gerendi peritiam haberet, dux fieret. Plutarch. l. c. Sperabant autem Tarentini, Epirotarum regem precibus suis facilius obtemperaturum esse, tum quod Alexandri Molossi necem ulturus esset cupidissime, tum quod ipsi olim navibus suppeditatis in bello adversus Corcyraeos gesto bene de eo essent meriti. Pausan. I, 12, 2. Pyrrhus, quem laudatissima Italiae ubertas alliciebat, rerum gerendarum studio flagrans, fortitudine et gloria nulli regum secundus, Aquilae cognomento ornatus (Aelian. de nat. anim. VII, 45. ibiq. Schneider. cf. Niebuhr. p. 538 sq. [12]), Tarentinis morem gessit, ut, quemadmodum olim Achilles adversus Trojanos, sic ipse Achillea proles (Pausan. I, 11, 1. Plutarch. Pyrrh. 1. Eutrop. II, 6. Aurel. Vict. de vir. illustr. 35. Niebuhr. pag. 532.) adversus Romanos, Trojanorum progeniem, bellum susciperet Plutarch. 7. 13. Pausan. I, 12, 2 (ex Hieronymo vel Timaeo. Niebuhr. tom. I. p. 203 sq. ed. 3.); nam patrium erat Epirotis, non pro patria sua tantum decertare, sed pro amicis et belli sociis pericula subire. Diodor. XXII eclog. 1. Haec utut sunt, non tam supplicum precibus quam spe, ut olim Corcyram cepisset Pausan. I, 11, 6, ita Italiae imperii invadendi permotus (Plutarch. 14. Justin. XXIII, 3, 3. Zonar. VIII, 2.) venturum se cum exercitu rex pollicitus est, in quam spem inclinatum semel animum praecipitem agere coeperant majorum exempla, ne aut inferior Alexandro patruo suo videretur, quo defensore iidem Tarentini contra Bruttios usi erant, aut minores animos Magno Alexandro [13]), qui tam longa a domo militia Orientem subegerat, habuisse censeretur. Justin. XVIII, 1, 1. 2.

---

11) Additae sunt Samnitium et Lucanorum preces, qui ipsi auxilio adversus Romanos indigebant. Plutarch. Pyrrh. 13. Justin. XVIII, 1, 1.

12) Pyrrhus regnum nactus est a. u. c. 450. Vellej. I, 14, 6. De ejus adolescentia vide Justin. XVII, 3, 16 sq. Plutarch. init., de ingenio Plutarch. 8. Justin. XXV, 5, 3. Dio Cass. fragm. Peiresc. 39. Zonar. VIII, 2, 6. Val. Maxim. V, 1 ext. 3. Pyrrhi responsa apud Plutarchum. Probitatem ejus ipsi Romani agnoverunt. Cic. de amicit. 8.

13) Alexandrum non quidem fortuna et rerum gestarum gloria, sed arte militari superatum esse a Pyrrho, Procles censuit apud Pausan. IV, 35, 3.

c) PYRRHI EXPEDITIO IN ITALIAM SUSCEPTA PRIOR.

Exarsit Romanis bellum Tarentinum unum quidem titulo et nomine, ut ait Florus I, 18, 1, sed victoria multiplex, hoc enim Campanos, Siculos atque Lucanos et caput belli Tarentinos i. e. totam Italiam et cum istis omnibus Pyrrhum, clarissimum Graeciae regem, una veluti ruina pariter involvit, ut eodem tempore et Italiam consummaret et transmarinos triumphos auspicaretur. Pyrrhus inter Graecos primus bellum intulit Romanis. Pausan. I, 11, 7. Is spem conceperat, fore ut in ipsa Italia magnas copias cogeret tum Tarentinorum, tum gentium finitimarum, Italiam enim CCCL millia peditum, equitum XX suppeditaturam esse, ut regem ad certamen subeundum provocarent, Tarentini, ut vanum erat et fallax istud hominum genus, promiserant. Plutarch. Pyrrh. 13. Atque hoc quidem modo Epirota ad suscipiendam expeditionem impulsus est [14]), nec poterat deterrere Cineas, Thessalus, orator (quem perperam Demosthenis ferunt discipulum Niebuhr. p. 562 [15]), Pyrrho familiarissimus, quem rex perpetuo habebat in honore, cujusque utebatur maximis in rebus opera. Plutarch. Pyrrh. 14. Hunc igitur ipsum vel Milonem (Niebuhr. p. 523. de Kobbe hist. Rom. tom. I. p. 336) continuo cum tribus millibus militum misit Tarentinis. Mox Cineas, ut Agidi Tarentinorum imperatori ad pacem cum Romanis componendam proclivi imperium abrogaretur, Miloni arcis praesidium permitteretur effecit. Plutarch. 15. Zonar. VIII, 2. Ipse Pyrrhus, retentis cautissime ex legatorum Tarentinorum numero plurimis cf. Niebuhr. p. 520, dum bellum parat, ab Antigono naves ad exercitum in Italiam deportandum mutuo petit, ab Antiocho, qui opibus quam militibus instructior erat, pecuniam sumit, a Ptolemaeo [16]) Macedonum militum auxilia impetrat in biennii usum data, quinque millia peditum Justin. XXXVIII, 4, 5., quattuor equitum, elephantos quinquaginta. idem XVIII, 1, 6. Ob haec Pyrrhus quum Ptolemaei filiam in matrimonium accepisset, socerum regni vindicem reliquit, ne abducta in Italiam juventute, hostibus regnum praeda fieret. Tales foederis conditiones quamquam praeter Justinum XVII, 2, 13-15 nemo memoravit, quamquam ille ipse suis repugnantia tradidit XVIII, 1, 3,

---

14) Contra quod retulit Cicero ex Ennii annal. (fragm. pag. 78. ed. Lips. ibiq. not.) oraculum Apollinis „ajo te Aeacida Romanos vincere posse," id ipse non credidit. de divinat. II, 56. cf. Oros. IV, 1. Aurel. Vict. de vir. illustr. 35. Augustin. de civit. Dei III, 17.

15) De ejus vi dicendi Dio Cass. fragm. Peiresc. 38. Himer. apud Phot. bibliothec. p. 369 Bekker. Cineas rhetor excitatur a Stephano Byzantio s. v. Ἔφυρα.

16) Antigonus est Gonnatus, Antiochus primus, qui vocatur Σωτήρ, Ptolemaeus Ceraunus. Omnes in suas trahere partes conabantur Pyrrhum, qui singulos spoliare cupiens omnibus se venditabat. Justin. XVII, 2, 12.

et alii Pyrrhum viginti tantum elephantos[17]) habuisse scriptum reliquerunt, existimandum tamen est, Trogum sua potius ex diversis nec magni pretii libris historicorum negligenter compilasse, quam Justinum, id quod Niebuhrio videtur p. 522, auctorem suum male interpretatum esse. Exercitum Epiroticum in Italiam trajiciendum subministratis navibus Tarentini curaverunt[18]), qui etiam pecuniam miserant Zonar. VIII, 2, non tamen gubernatorum prudentiae contigit, ut universam classem salvam tempestatibus eriperent; ipso Pyrrhus natando ad littus Messapiae advenit. Plutarch. Pyrrh. 15. Hoc factum est ante cladem Gallorum Delphicam biennio, ut perspicitur ex loco Polybiano II, 20, 6.[19]); clades illa Gallis illata est Olympiade CXXV, 2. (a. u. 475) Pausan X, 23, 9, Pyrrhus igitur in Italiam trajecit a. u. 473, quo anno consules erant L. Aemilius Barbula et Q. Marcius Philippus. Consentiunt in tempore ferme Polybius II, 41, 11., Plinius nat. hist. VIII, 6. XVI, 15 ex Cornelio Nepote, Gellins XVII, 21. Circa idem tempus junctum esse postremum inter Poenos et Romanos foedus[20]), quod est quartum Liv. epit. XIII, Polybius III, 25, 1 tradidit.

Antequam Pyrrhus in Italiam adveniret, bellum, solito more, quoad fieri poterat, per Fetiales indictum Serv. ad Virg. Aen. IX, 53, inter Tarentinos et Romanos initium habuit. Aemilio enim consuli quum in Lucanos[21]) juxta littus angusto itinere exercitum duceret, Tarentini classe insidiati sunt. Frontin. I, 4, 1. Zonar. VIII, 2, contra idem vicit consul gentium foederatarum exercitum eodem anno a. u. c. 473. Liv. epit. XII. fast. Capitol. Pyrrho Cineas de regis adventu certior factus obviam processit, sed quod Meto praedixerat eventum mox habuit. Plebem enim Tarentinam voluptatibus indulgentem, quam vix compescere poterat, Pyrrhus, ut eam non minus quam se ipsum servaret, severo edicto ad arma vocavit, et juventutis habito delectu, quum multi ex militibus mari procelloso hausti perissent, exercitum continuo supplevit[22]). Plutarch. Pyrrh. 16. Appian. Samnit.

---

17) Plutarch. Pyrrh. 15: ἐνεβίβαζεν ἐλέφαντας εἴκοσι, καὶ τρισχιλίους ἱππεῖς, πεζοὺς δὲ δισμυρίους, καὶ δισχιλίους τοξότας, καὶ σφενδονήτας πεντακοσίους. cf. Niebuhr. p. 541.

18) Fertur Pyrrhus hoc secum reputasse, num pedestri transitu continuaret intervallum inter Apolloniam et Hydruntem jactis pontibus. Plin. nat. hist. III, 16.

19) Minus accurate idem Polybius I, 6, 5 rem posuit uno anno ante illam cladem, de qua vide Polyb. IV, 45 sq. Liv. XXXVIII, 16 sq.

20) Rectius ad annum u. c. 476 revocatum a viris doctis. v. Schweighaeus. ad Polyb. l. c.

21) Sive in Lucanis. v. Niebuhr p. 523.

22) Vide quae docte de Pyrrhi exercitu disputavit Niebuhr p. 554. Pyrrhus delectori suo fertur dixisse: tu grandes elige, ego fortes reddam. Frontin. IV, 1, 3. Tarentini mox odio habuerunt regios milites, quippe qui ipsis invitis in hospitia deducti mulieres et puerulos illuderent. Appian. Samnit. VIII.

VIII. Zonar. VIII, 2. Iam ipsos Romanos, licet nondum socii convenissent, in Lucanorum terris quaerens, quas misere devastari acceperat, invenit Laevinum consulem a. u. 474 ingenti cum exercitu; qui quum pacem oblatam repudiasset [23]), Pyrrhus castra posuit ad Heracleam urbem, Romani ultra Sirim [24]) consederunt. Plutarch. 16. Missis a Pyrrho speculatoribus Dionys. Halic. XVIII, 1. Zonar. VIII, 3. Frontin. IV, 7, 7., quum flumen transissent Romani, consertum est proelium atrocissimum, in quo ipse rex, quem mortuum hostes clamabant Frontin. II, 4, 9., vitae periculo facto, strenue pugnavit, donec prementibus elephantis [25]) in fugam Romani conversi sunt. Illi adeo fortiter pugnaverant, ut omnes adversis vulneribus prostratos post pugnam Pyrrhus inveniret, quod quum vidisset, exclamasse fertur „o quam facile erat orbis imperium occupare aut mihi Romanis militibus, aut me rege Romanis!“ Flor. I, 18. Utrimque magnus occubuit militum numerus, ab aliis aliter constitutus [26]). Dionys. et Hieronym. apud Plutarch. 17. adde de proelio Dionys. XVIII, 2-4. Justin. XVIII, 1, 4-7. Zonar. VIII, 3. Aurel. Vict. de vir. illustr. 35. Oros. IV, 1. [27]) Milites Romanos, quicunque ex

23) Laevinus in libris manuscriptis Plutarchi Albinus vocatur, quod nomen vix librariorum incuria ortum est. cf. Niebuhr. p. 555. Epistolas a consule et a rege invicem datas exhibent Dionysius XVII, 15-18., Zonaras VIII, 3, quae mihi quidem ad rhetorum declamationes propius quam ad veritatem accedere videntur.

24) Pandosiam auctorum, non librariorum errore in bellum Tarentinum illatam esse, observatum est Mannert geogr. antiq. IX, 2. p. 231, quod miror Niebuhrium p. 556 praetermisisse. Non emendandus est Plutarchus, ut videbatur Cluvero Ital. antiq. p. 1276. Vitiose Lirim habet Florus I, 18 (v. Salmas. et Freinshem.), ex eo Orosius IV, 1. Confuderunt scriptores Ἡράκλειαν et Ἡρακλεῖον Campaniae, unde ex Siride factus est Liris, Campaniae fluvius.

25) Elephantos a Poro Indorum rege Alexander Magnus acceperat, Pyrrhus nactus est in proelio cum Demetrio inito. Tunc primi in Italia visi sunt. Pausan. I, 12, 14. Plin. nat. hist. VIII, 6., ex eo Solin. XXV, 15. Veget. de re milit. III, 24 ibi Stewech. Equos ab elephantis terrore perculsi notum est. Liv. XXX, 18. Amm. Marcell. XXV, 3. Frontin. II, 4, 13. Elephas conspicitur in nummis Tarentinorum, qui Pyrrhi aetati assignandi sunt. Mionnet descript. tom. I. p. 144. 149.

26) Propter incertam numeri rationem eorum, qui in pugnis caeduntur, meliores scriptores varios numeros edixisse reperiuntur. Beck de arte hist. vett. Lips. 1809. pag. XIV sq. Orosius VII, 10 Tacitum scripsisse retulit, Sallustium aliosque auctores reticendum interfectorum numerum sanxisse, quare ipse idem potissimum elegerit. In proelio tamen apud Sirim facto Hieronymus numerum exploratum habere potuit, ut Niebuhrius p. 559 docte observavit.

27) Apud Orosium leguntur quae hodie in libris vulgata sunt, ut de titulo in templo Jovis a Pyrrho affixo:

Qui antehac invicti fuere viri, pater optime Olympi
Hos ego in pugna vici victusque sum ab iisdem.

haec procul dubio ex Ennio. cf. Annal. fragm. p. 82 ed. Lips. Heyn. opusc. II p. 230. Naeke indic. praelectt. hiemal. Bonn. 1833. Versus sunt Saturnii, quos e Graecis Leonidae Tarentini conversos esse censuit Niebuhrius p. 560. Apud eundem Orosium legitur Pyrrhi responsum „nae ego si iterum eodem modo vicero, sine ullo milite Epirum revertar“ cf. Aurel. Vict. de vir. illustr. 35., quod

proelio superstites fuerunt, Venusiam petivisse probabile est. Niebuhr. p. 558.; urbes sociae post proelium ad Pyrrhum defecerunt pleraeque, in his praeter Rhegium, quod Campani[28]) tenebant, Locri. Justin. l. c. §. 8. 9. Zonar. VIII, 3 extr. Item convenere Lucani et Samnites ad Pyrrhum, postquam de pugnae eventu dubitare amplius non potuerunt; quorum licet rex incusaret moram, aperte tamen gaudebat gloriabaturque, quod solorum Epirotarum et Tarentinorum virtute ingentes Romanorum copias profligasset. Plutarch. 17. Tum Praenesten versus progressus Flor. I, 18, 24 ad milliarium ab urbe octavum decimum usque, mox terrore exercitus, qui eum consule sequebatur, percussus, aliis accedentibus caussis (cf. Niebuhr. p. 582), in Campaniam se recepit. Plutarch. l. c. Liv. epit. XIII. Appian. Samnit. X, 3. Zonar. VIII, 4. Eutrop. II, 7. Aurel. Vict. l. c. Ampel. lib. memor. 28. Romani, si fides habenda est conjecturae Niebuhrii p. 585, Ferentinum concesserunt in hiberna. cf. Frontin. IV, 1, 24. Iidem, quum Pyrrhus exercitum adversus Romam urbem ducere videbatur, ad eum de redimendis sive commutandis captivis legatos miserant Dionys. XVIII, 5, ex quibus unum Fabricium quum rex frustra in suas partes trahere conatus esset[29]), suspiciens nobilitatem animi captivos, redemtionis pretio nullo statuto, haud invitus remisit. Dionys. XVIII, 27. Liv. epit. XIII. Eutrop. II, 7. Flor. I, 18, 15. Dio Cass. fragm. Peiresc. 41. Cic. de offic. I, 12. Enn. fragm. p. 83 sq. Zonar. VIII, 4. Val. Maxim. II, 7, 15. Frontin. IV, 1, 18. Justin. XVIII, 1, 10. Sed nequit silentio transiri, Justinum libro modo laudato 2, 6, ubi de pace inter Fabricium et Pyrrhum composita tradidit, propter quam confirmandam Cineas Romam missus sit, falli et negligenter scribere. Nec video a Plutarcho (cap. 20) idoneo loco Fabricii legationem memoratam esse, qui quum ex pluribus auctoribus, quorum quod alii posuerunt, alii omiserunt, narrationem contexeret, rerum gestarum ordinem turbavit. Hic solus retulit de Fabricio, cui ne elephantus quidem terrorem injicere potuerit cf. Fabric. respons. 2, sed habet in reliquis adsentientem Appianum Samnit. X, 4. 5., apud

---

Plutarchus 21 ad proelium apud Asculum factum retulit. cf. Appian. Hannib. 26. Diodor excerpt. Vatic. pag. 51 ibiq. Majus.

28) De legionis Campanae in Rheginos commisso scelere vide Liv. epit. XII. XV. Dionys. XIX, 1. XX. 7. 8. Polyb. I, 7. Dio. Cass. exc. Peiresc. 40. Diodor. XXII eclog. et excerpt. Liv. XXVIII, 28. Zonar. VIII, 6. Oros. IV, 3. Appian. Samnit. IX. Frontin. IV, 1, 38. Val. Maxim. II, 7, 15 fine. Niebuhr p. 633.

29) Rhetorum more Pyrrhi habitum cum Fabricio colloquium proposuit Dionysius XVIII, 2-26. De Fabricii ingenio vide Dio. Cass. fragm. Peiresc. 37. Dionys. XX, 1. ibiq. intpp. Plutarch. apophthegm. Fabric. 3. Zonar. VIII, 6. Cic. de senect. 13. Frontin. IV, 3, 2. Gell. I, 14 ex Hygino. Val. Maxim. IV, 3, 6. II, 9, 4 et auctt. ibi comparat. Flor. I, 18, 22 ibiq. Freinshem. Cic. Parad. VI. Ampel. cap. 18. Aurel. Vict. de vir. illustr. 35.

quem invenies ea, quae de captivis ad Saturnalia Romam remissis feruntur. Quid quod apud Dionem Cassium fragm. Ursin. 146 Romanorum legatos in ipsa urbe Tarento a Pyrrho lautissime exceptos esse hospitio scriptum legitur? Qui bellum Tarentinum enarraverunt, eos, ut laudibus aut Pyrrhum aut Romanos cumularent, singula speciosius quam verius legentibus tradidisse, vix quisquam negaverit rerum gestarum existimator paullo acrior. Fidem sequor scriptorum Romanorum, qui dum Fabriciam legatum ad Pyrrhum ante, quam Cineam Romam, missum esse affirmant, gentis suae gloriae prospicientes commutare legationum tempora maluissent, si fieri ita potuisset. Dionysii locus in oratione XVIII, 11 ut a sententia discedere me jubeat tantum abest, ut nesciam an Dionysium ipsum erroris auctorem existimem.

Post legationem Fabricii Pyrrhus, hostium expertus fortitudinem, quae erat ejus consuetudo, ut potissimum, antequam belligeraret, adversarios, quocunque posset modo, in suam sententiam adduceret (Polyaen. VI, 6, 3), quum simul speraret pacem facile impetratum iri, nihil omisit, quod ad bellum componendum duceret. Itaque Cineas Romam missus est, qui tamen, obnitente Appio Claudio Caeco, nihil artibus suis [31]) potuit efficere. Liv. epit. XIII. Plutarch. 18. 19. Dolendum profecto, quod, quum liber, quo Livius de Cineae legatione retulerat, sit deperditus, temporis injuria egregium artis oratoriae specimen nobis surripuerit, ut hodie ad eum confugiamus necesse sit, qui ab ingenio et a doctrina pariter instructus Cineae et Appii orationes, quasi alter Livius, effinxit. Niebuhr. pag. 566 - 578. Responsum regi tulit Cineas: Pyrrhus, ubi excessrit Italia, tum si societatem et amicitiam populi Romani petat, agat ea de re, addidit urbem templum, senatum Romanum multorum regum consessum sibi visum esse. Appian. Samnit. X, 1 - 3. Zonar. VIII, 4, Eutrop. II, 7. Liv. XXXIV, 4. Cic. de senect. 6. Philippic. I, 5. Flor. I, 18, 20. Val. Maxim. IV, 3, 14. VIII, 13, 5. Diodor. exc. Vatic.

---

30) Niebuhrius quidem p. 587. Plutarcho et Appiano fidem habet, licet Dionysium obstare viderit, sed neque iis adsentior, quae p. 563 disputavit.

31) Cineas senatui et equestri ordini blande nomine reddidit postridie quam Romam advenerat. Plin. VII, 24. Solin. I, 109. Seneca controv. lib. I. pag. 66. ed. Bip., quod haud scio an sit inventum propter insignem viri memoriam Cic. Tusc. I, 24, et ad similitudinem nomenclatorum, qui posterioris aetatis erant, commentum. Voluisse donis oblatis Cineam Romanorum principes corrumpere, praeter Zonaram nemo auctor est. Niebuhr. p. 564. Non pertinent ad Cineam quae narrantur de medico Pyrrhum interemturo apud Aelianum V. H. XII, 33. cf. Liv. epit. XIII. XXXIX, 51. Flor. I, 18, 21. Cic. de offic. I, 13. III, 22. Plutarch. resp. Fabric. 4. 5. Eutrop. II, 8. Frontin. IV, 4, 2. Aurel. Vict. l. c. Apostol. XI, 63. Intpp. ad Val. Maxim. VI, 5, 1. Lachmann de fontib. Liv. II. p. 2. Gellius rem retulit III, 8 ex antiquis auctoribus; qui illic Nicias vocatur, apud Aelianum Cineas est. Scriptorum tanta est discrepantia cf. Niebuhr. p. 595, ut non dubitem, quin commentitia sit narratio illa, quae trita est et decantata.

p. 51 ed. Dindorf. Suid. s. v. δῶς et ἐνεδέχοντο. Scriptorum quum de pace a Romanis negata consensus sit, non est in conditionibus oblatis Niebuhr. p. 565. Plutarchus 21 Cineam denuo tradidit Romam missum, captivos gratis redditos esse, quo mihi quidem negligentiam in componendo opere et ἀκρισίαν probavit; abiit error in alios Zonaram VIII, 5. Appianum Samnit. XI. Justinum XVIII, 2, 7-10, qui legationem justo serius memoravit. De captivis quidem, non soluto redemtionis pretio, iterum remissis ipse Dionysius XIX, 2. 3. primus tradidit, sed parum probabiliter, semel enim Pyrrho, ut Alexandrum Magnum imitaretur cf. Curt. VII, 9, 18., liberalitatem ostendisse satis erat.

Quum rex bellandum esse vidisset, castris motis, prope Asculum [32]) Apuliae oppidum aciem instruxit, Tarentinos, qui pessimi erant, in medium recepit Frontin. II, 3, 21, et postquam bis signa contulit, Romanos atroci certamine in fugam coegit, ut plerique tradiderunt; sed Dionysius non exploratam fuisse Pyrrhi victoriam retulit. cf. Plutarch. 21. Liv. epit. XIII. Justin. XVIII, 1, 11. de Kobbe hist. Rom. tom. I. p. 340. Longius etiam a reliquis auctoribus Eutropius II, 8 recedit, dum Pyrrhum Publio Sulpicio, Decio Mure consulibus a. u. c. 475 Tarentum fugatum esse scribit. cf. Oros. IV, 1. Zonar. VIII, 5. Frontin. II, 3, 21. Aurel. Vict. de vir. illustr. 35. Is quidem de anno, quo pugnatum est, rectius statuit quam Florus I, 18, 9, qui Curium et Fabricium posuit consules, sed cetera perperam tradidit aut ipse lapsus, aut scriptoris nescio cujus deceptus negligentia, qui, quum Pyrrhum post pugnam Tarentum sese recepisse legisset, fugatum esse crederet, nisi consulto de proelio Asculano ita quis scripsit, ut Romanis victoriam tribueret. Quod ferunt, in illa pugna Decium morti se devovisse Cicero Tusc. I, 37 de fin. II, 19 (ut videtur ex Ennio cf. Niebuhr. p. 592), non dubito, quin Decius ille tertius ad ornandam gentem, Samnitium bellis clarissimam Val. Maxim. V, 6, 5 ibi intpp. Aurel. Vict. de vir. illustr. 26. 27., a poetis et rerum scriptoribus immerita laude cumulatus sit. Zonaras quidem VIII, 5 paratum tantummodo ad devotionem Decium, ut hostes perterreret, caute retulit, cumque Goerenzius ad Cic. de fin. p. 214 neutri auctori adsentiens, cum Cicerone conciliare conatus est. cf. Kühner ad Tusc. pag. 139. Pyrrho, quum magnam amisisset exercitus partem, magnum amicorum numerum, quum fides sociorum labefacta esset, Romani cum Carthaginiensibus societatem

32) Venusiam Pyrrhum oppugnare voluisse, apte Niebuhrius pag. 588 conjecit. Asculum etiam Floro I, 18 in Apulia est, quum capite 19 rectius Picentium caput dicatur, ut apud Plinium hist. III, 18. Callide controversiam evitavit Orosius IV, 1, qui urbem in Apuliae finibus sitam esse tradidit. Duplex Asculum constituere nolim, immo Apuliam scriptoribus latius patere confirmaverim. Ceterum pugna Asculana in proverbium abisse videtur. Vect. Titinn. fragm. pag. 75 Bothe.

inissent (Niebuhr. p. 592 sq. de Kobbe l. c. p. 340), neque elephantorum [33]) ope in posterum quidquam effici posse intellexisset, gratum accidit, ut Siculorum legati contra Carthaginienses et tyrannos, qui mortuo Agathocle caput extulerant, ipsius auxilium implorarent [34]). Plutarch. 22. Justin. XVIII, 2, 11. Oros. IV, 1. Mansit tamen in Italia per annum u. c. 475; sequente etiam anno castra habuit vicina Fabricio iterum consuli. cf. Plutarch. 21. Eutrop. II, 8. Gell. III, 8 et qui supra (nota 31) excitati sunt. Carthaginienses eo tempore classem CXX navium specie quidem, ut auxilium ferret Romanis, re vera, ut prohiberet, quominus Pyrrhus in Siciliam transiret, miserunt; senatus tamen Romanus naves redire in Siciliam jussit. Justin. XVIII, 2, 1-5. Valer. Maxim. III, 7, 10. Rex, initis induciis Appian. Samnit. XII. init., postquam sociorum civitates validis praesidiis in fide confirmavit, Locris filium Alexandrum relinquens exercitum in Siciliam trajecit. Liv. epit. XIV. Justin. XVIII, 2, 12, sperabat enim, fore ut brevi tempore insulae imperio potiretur. Plutarch. 22. Discessit ex Italia media ferme aestate, extracto bello in duos annos et quattuor menses, anno 476 a. u. c. Diodor. XXII eclog. 11 ibi Wesseling. De expeditione Siciliensi exponere nostra nihil interest, idcirco lectorem ablegamus ad scriptores Diodorum XXII eclog. 14. Plutarch. Pyrrh. 22. 23. Dionys. Halic. XIX, 6-8. Pausan. I, 12, 5. Justin. XXIII, 3. Zonar. VIII, 5., quos, quum paullo acerbius in Pyrrhum invecti sint, Timaeum censorem admodum severum ante oculos habuisse probabile est.

b) PYRRHI EXPEDITIO IN ITALIAM SUSCEPTA ALTERA.

Quo anno Pyrrhus ex Italia discessit, eodem Fabricius et Aemilius consules a Lucanis, Bruttiis, Tarentinis, Samnitibus victoriam reportarunt Liv. epit. XIII. Eutrop. II, 8. fast. Capitol. cf. Niebuhr. p. 601 [34. b]); quo factum est, ut, cum aliae civitates, tum Heracleenses foederi Romanorum se adjungerent. Cic. pr. Balb. 22. pr. Arch. 4. Heyn. opusc. tom. II. pag. 242 sq.

33) Elephantis enim proboscis abscissa est. Plin. VIII, 7. Flor. I, 18, 9., quod tamen in Lucania factum esse, Vegetius de re milit. III, 24 tradidit., vel ignis suppositus est. Oros. IV, 1. Zonar. VIII, 5. Similia Alexandri milites in bello Indico fecisse traduntur. Curt. VIII, 14, 29. Fugatos esse elephantos etiam ariete cornuto et suis grunnitu, docet Aelianus hist. anim. I, 38 ibi Schneider. cf. Niebuhr pag. 591.

34) Spem ponebant in Pyrrho Siculi suam, quod Lanassam Agathoclis filiam uxorem duxerat. Plutarch. Pyrrh. 9. Diodor. XXI, 4. XXII, 11. Pyrrhi filiam in matrimonium duxit Gelo Hieronis filius, qui post Pyrrhi fugam Syracusis potitus est. Pausan. VI, 12, 2. Zonar. VIII, 6.

34. b) Huc pertinet victoriae monumentum Jovi, Junoni, Herculi a Fabricio dedicatum, de cujus tamen fide dubites. Muratori thesaur. inscript. tom. I. p. 10. 8.

Capta est Caulonia Pausan. VI, 3, 5., mox Croton [35]) et Locri, licet praesidium duce Nicomacho a Milone missum esset, in Romanorum potestatem cesserunt. Zonar. VIII, 6. Heyn. l. c. p. 193. Niebuhr pag. 603. Atque hunc in modum duo anni consumti sunt. Quodsi forte mireris, bellum minus strenue gestum esse, pestilentiae reminiscere, qua illo tempore Roma devastata est. Oros. IV, 2. Augustin. de civit. dei III, 17. Histor. miscell. tom. I. p. 11. a. D. ed. Murator. Tertio anno, qui est ab urbe condita quadringentesimus septuagesimus octavus, Pyrrhus in Siculorum adductus invidiam, relicta insula Carthaginiensibus et Romanis palaestra, ipse dubius animi, quid faceret, in Italiam rediit. Dionys. Halic. XIX, 6. Appian. Samnit. XII, 1. Justin. XXIII, 3, 5-10. Accitus erat litteris Samnitium et Tarentinorum, qui, quod circumcirca agris pulsi aegre bellum a moenibus suis propulsarent, opem ejus implorabant, quamquam olim ex Italia discedens iuvitis Torentinis urbi praesidium imposuerat. Tarentini quum postulassent, ut vel, qua venisset conditione, praestaret eam, et ipsis bello Romano adesset, vel si Italiam desereret, urbem ut suam relinqueret, qualem accepisset, Pyrrhus nihil aequi responderat, sed ut tacerent imperaverat, et sua tempora exspectarent. Plutarch. Pyrrh. 22. Ad hunc igitur statum plebeja factione et peregrinis ducibus redacta erat civitas olim prae omnibus beata, ut enim ait Livius XXIII, 7 „superba Pyrrhi dominatio et miserabilis Tarentinorum servitus."

Pyrrhus quum ex Sicilia in Italiam transiret, proelio cum Carthaginiensibus et Mamertinis facto, magnam amisit exercitus et navium partem Plutarch. 24. Zonar. VIII, 6, quamquam non cum duodecim tantum navibus, ut Appianus tradidit, sed cum viginti millibus peditum et tribus millibus equitum [36]) Locros evasit. Quam urbem, quum contra militare praesidium, quod imposuerat, rebellasset, ipse magna rei nummariae difficultate pressus diripuit et spoliavit Appian. Samnit. XII, 1. Dionys. Halic. XIX, 9, sed quoniam ne a templo quidem Proserpinae manus sacrilegas abstinuerat (Suid. δεισιδαιμονία), ira divina, ut traditur, classem thesauris onustam Tarentum advenire non sivit, periit enim naufragio non illa tantum, sed inde ex eo tempore ipsi Pyrrho res male ceciderunt. Dionys. Halic. XIX, 10. Liv. XXIX, 18. Dio Cass. fragm. Peiresc. 42. Appian. Samnit. XII, 2. Val. Maxim. I, 1, ext. 1. Aurel. Vict. de vir. illustr. 35. Lactant. instit. II, 7. Locris Tarentum quum rex tuto pervenisset, eductis Tarentinorum delectissimis, contra Romanos, qui stativa in Samnio habebant, signa movit. Plutarch. 24. Samni-

35) Expugnavit Rufinus Frontin. III, 6, 4, quem ad consulatum Fabricius evexerat. Cic. de orat. II, 66. Quintil. XII, 1, 43. Gell. IV, 8.

36) Barbarorum potius quam Epirotarum fuit hic exercitus, etiamtum Romanis formidabilis. cf. Niebuhr. pag. 606 sq.

tes autem non uno proelio a Romanis victi, quia expeditionis Siciliensis caussa aliquid invidiae in Pyrrhum suberat, minus frequentes ad regem convenerunt, qui copias suas partim in Lucaniam ad detinendum alterum consulem, ne subveniret collegae, misit, partim contra Marcum Curium consulem (a. 479.) tuto loco ad Beneventum considentem duxit. Consul, dum Pyrrhus infausto somnio, ut perhibent, terretur, bona nactus omina regis exercitum [37]) superavit. Plutarch. 25. Dionys. Halic. XIX, 13. Claudian. de bello Getico 124 sq., quem casum non solum Proxenum historicum, sed etiam ipsum Pyrrhum in commentariis laesae Deae indignationi tribuisse, ex loco Dionysii patet. cap. 11 ibiq. intpp. Capti hoc proelio a Romanis elephanti octo, tradentibus Indis rectoribus [38]) Dionys. cap. 4. Zonar. VIII, 6, alii in ipsum regis exercitum conversi sunt. Liv. epit. XIV. Eutrop. II, 8. Frontin. II, 2, 1. Flor. I, 18, 11-13. [39]). Ita Pyrrhus quum bello sex [40]) annos contrivisset viresque suas imminuisset, a spe excidit non solum Siciliensi verum etiam Italica, unicus bellandi artifex, sed magis in proelio quam in bello bonus. Liv. apud Serv. ad Aeneid. cf. Niebuhr. p. 539. Transportavit in Epirum a. u. c. 479 (post Olympiad. CXXVI. Plin. nat. hist. XI, 71) octo millia peditum, equites quingentos Plutarch. 26. Justin. XXIII, 3, 11. 12. Eutrop. II, 8., neque aperte ex Italia discessit, sed metuens, ne salvus terram relinqueret, quum ab Antigono aliisque Asiae regibus frustra petivisset auxilia, tamen impetrasse se simulavit, atque hoc modo, quousque in Italia commoratus est, fidem suorum sibi servavit. Noctu, si fides habenda est auctoribus, trajecit in Epirum [41]). Pausan. I, 13, 1. Justin. XXV, 3 init. Polyaen. VI, 6, 1. Niebuhr. pag. 610.

e) BELLI FINIS ET EVENTUS.

Postquam res gestae deinceps sunt recensitae, quod initio de Pyrrhi ingenio partim perscripsimus, partim veterum auctorum locis adumbravimus, id

---

37) De numero militum male et facetius quam verius retulerunt Dionysius et Orosius. Niebuhr. pag. 608.

38) Dissensio videtur fuisse in Pyrrhi exercitu belli diuturnitate defesso, quemadmodum olim factum est in Alexandri Magni expeditione. Curius elephantos Romae in triumpho egit. Plin. VIII, 6. Flor. I, 18, 28. Eutrop. II, 8. Senec. de brevit. vit. 13. De Curii ingenio v. intpp. ad Val. Maxim. IV, 3, 5. VI, 3, 4. Freinshem. ad Flor. I, 18, 22.

39) Florus Arusinos campos, consentiente Orosio IV, 2, male ponit in Lucania, quum sint in Samnio apud Beneventum. Frontin. IV, 1, 14. Sed Florus omnino negligenter scripsit, ne verbo quidem Siciliensem expeditionem commemorans.

40) Quinque minus accurate Orosius IV, 2. Zonaras VIII, 6.

41) De iis, quae postmodum ei acciderunt, vide Plutarchum 26 sq. Pausan. I. 13, 2 sq. Justin. XXV, 3 sq.

videmus hoc ipso bello comprobari, ut recte dixisse videatur Antigonus apud Plutarchum 26 (cf. Justin. XXV, 4, 2. 3.), dum Pyrrhum aleatori comparat, qui multa et secunda jacit, sed jactu uti nescit [42]). Verum quidquid de Pyrrho censendum est, in eo consentit universa ferme antiquitas, cum rei militaris scientia [43]) longe omnium suae memoriae regum fuisse primum, multumque ab eo didicisse Romanos [44]) Frontin. IV, 1, 14, qui quum in bellis Samniticis militaris studii prima rudimenta posuissent, ex bello cum Pyrrho gesto perfecti athletae certaminum evaserunt Polyb. II, 20, 9, ita ut sumtis animis ex ipsis rebus tunc gestis, quaesitis opibus et nomine, quasi insuperabiles Italia statim, Sicilia sint paullo post potiti. Plutarch. 25. cf. Flor. I, 18, 23. Mox enim Romani, impetu facto in eos, qui cum Pyrrho societatem habuerant Polyb. I, 6, 7, rem bene gesserunt, id quod colonia Paestum deducta a. u. 481 comprobat. Liv. epit. XIV. Vellej. I, 14. Anno sequente Samnites, Lucani, Bruttii devicti sunt Zonar. VIII, 6. fast. Capitol., quo facto Romani ad obsidendum Tarentum animum adverterunt, quod illo tempore praesidio Milo Pyrrhi familiaris tenebat. Justin. XXV, 3, 4. Tarentini quidam seditiosi Milonem, a quo male accepti fuerant, Nicone duce adorti quum nihil profecissent, castello quodam suae ditionis occupato, hostilibus animis non solum illi negotia facessebant, sed, missis Romam legatis, de pace componenda agebant. Cives, qui Milonem aegre patiebantur simulque a suis Miloni infestis urgebantur, cognita Pyrrhi fuga, Carthaginiensium opem implorabant, partim ut Epirotarum praesidium depellerent, ut Zonaras VIII, 6 auctor est, partim ut a Romanis se defenderent. Oros. IV, 3. Liv. epit. XIV. Susceptae igitur sunt a Carthaginiensibus inimicitiae contra Romanos, quamquam illi hostilis animi speciem vel perjurio evitarunt. Oros. IV, 5. [45]). Milo in angustiis constitutus [46]), terra Romanis, Carthaginiensibus mari prementibus obsidione, arcem Papirio consuli a. u. 482 [47]) ea conditione tradidit, ut sibi cum pecuniis et militibus incolumi abire liceret, quo facto elas-

42) Animosus magis quam efficax Tarentinae petulantiae defensor, haud scio majore cum gloria hujus urbis (Romae) moribus, an armis repulsus sit. Val. Max. IV, 3, 14.

43) Conferas Antigoni et Hannibalis judicium apud Plutarch. Pyrrh. 8. Liv. XXXV, 14. Pausan. I, 12, 3. Dionys. Halic. XIX, 11. Justin. XXV, 5, 4-6. Polyaen. VI, 6, 3. Ampel. 28 et magnum artis militaris existimatorem Polybium XVII, 3, 6. XVIII, 11, 10.

44) Quamquam artis castra metandi principia ipsi invenerunt. Niebuhr p. 609.

45) Orosio nescio quo modo Niebuhrius p. 630-632. adversatur.

46) Praesidium Epiroticum a Pyrrho, postquam Macedoniam in deditionem accepit, Tarento revocatum esse Justinus XXV, 3, 6 perperam narravit.

47) Orosius IV, 3 a veritate longius aberrat, qui annum a. u. c. 475 ponit. Eusebius chron. lib. post. pag. 141. Olympiadem CXXVI satis recte adscripsit, dummodo Catonis aeram sequamur. vide ibi Scaliger. Fasti triumphales apud Pighium Annal. Rom. tom. II. p. XXV habent annum u. c. 481.

sis Carthaginiensium, ut foedus Romanum servare videretur, unde venerat, rediit. Zonar. VIII, 6. Victis Tarentinis pacem et libertatem datam esse Livius epit. XV. testis est, sed promissis Romanos, qui urbem Milonis proditione potius quam civium voluntate potiti erant Frontin. III, 3, 1, edocemur a Zonara. Tarentinos licet arma et naves tradidisse, atque urbis muros ab hostibus dirutos esse merito negaveris — classem enim et muros posthac etiam fuisse Tarentinis, temporum posteriorum memoria commonstrat — tamen urbem direptam, civibusque tributum, quod solverent, impositum esse facile credas. Vidit enim Roma in triumpho Tarentinas delicias Flor. I, 18, 27, et Pyrrho demum victo, argento signato usa est. Plin. XXXIII, 13. Nec me retineo, quin afferam hoc loco, quod Suidas scripsit s. v. μονῆτα, esse Monetam cognomen Junonis apud Romanos, quod tali de caussa ei tributum sit. Romani quum in bello contra Pyrrhum et Tarentinos gesto pecunia egerent, Junoni votum fecerunt. Illam autem ferunt ipsis respondisse, si bellnm justo modo gererent, pecuniam non defecturam esse. Romani igitur voti compotes facti Junonem coluerunt Monetam, hoc est consultricem (a monendo dictam), et decreverunt, ut nummi ejus in templo cuderentur. cf. Niebuhr. pag. 594. Magnam fuisse in bello Tarentino praedam Romanorum, vel inde apparet, quod anno u. c. 481. Curius Dentatus Aniensis aquam perducendam in urbem (ante hoc bellum scandula contectam. Corn. Nep. apud Plin. XVI, 15) ex manubiis de Pyrrho captis locavit. Frontin. de aquaed. cap. 6. pag. 160. Bip. cf. Aurel. Vict. de vir. illustr. 33. Ceterum Papirium Cursorem ob subactos Tarentinos Romae Conso i. e. Neptuno equestri (cf. Creuzer Symbol. tom. II. p. 608 sq.) aedem statuisse, atque in eadem triumphi sui picturam reliquisse, collegit ex loco Festi s. v. picta Pighius annal. Rom. tom. I. pag. 447. *) cf. tom. II. pag. 16.

3) BELLUM PUNICUM PRIMUM.

Dolemus, quod ad memoriam rerum, quae, postquam Pyrrhus ex Italia discessit, gestae sunt, investigandam fontes neque ubertim profluunt, neque aetate paullo antiquiore inveniuntur, ita ut, quid apud Tarentinos factum sit, divinandum potius quam dijudicandum sit. Hoc tamen constat, mox alios Italiae inferioris populos Picentes, Messapios, Salentinos in potestatem Romanorum cessisse. Micali Italia tom. IV. pag. 101 sq. „Tum omnis Italia pacem habuit, qui enim post Tarentum auderent?“ Flor. I, 19, 1. Secuta

48) Idem Pighius exstare dicit hujus victoriae memoriam in nummis argenteis, quos ipse descriptos sagaciter explicavit. Digna sunt verba viri doctissimi, quae legas.

sunt tempora belli Punici primi a. u. c. 490-513, ad quod bellum suscipiendum, licet verissima caussa posita esset in reipublicae et Carthaginiensis et Romanae incrementis, auxilium, quod Carthaginienses Tarentinis praestiterant, populum Romanum excitavit. Ampel. cap. 46. cf. Pighii annal. tom. I. pag. 453. Ad Tarentinos quidquid accidit minus pertinebat, hi enim liberi Romanorum socii facti suis ipsorum rebus, potissimum mercaturae, prospiciebant, neque quidquam aliud Romani poposcerunt, nisi ut naves commodato praeberent ad copias Messanam transportandas, quod pariter fecerunt et Locrenses et Velienses et Neapolitani. Polyb. I, 20, 14. cf. Münter. Velia p. 58. Romani num illo tempore ipsi omni navium apparatu destituti fuerint, anquirere nostra quidem nihil interest, ut monuisse nobis satis sit, Polybium, qui ne unam quidem navem Romanis fuisse affirmat, refutatum videri iis, quae ex ipso Polybio III, 22 sq., Dionysio Halic. IX, 56, Livio VIII, 14, Appiano exc. legat. tom. I. p. 56. ed. Schw. docte et acute Schweighaeuserus ad Polybium I, 20, 13 disputavit. Romani igitur, dum navium opem a civitatibus Italiae exigunt, id potius, ut imperii vim declararent, quam necessitate coacti imperasse existimandi sunt.

4) BELLUM PUNICUM SECUNDUM. [1])

a) TARENTUM SUB POTESTATEM ROMANORUM SUBJECTUM.

Quindecim annis post bellum Punicum primum profligatum a. u. 528, quo tempore bellum in Gallia cisalpina gerebatur, Romani Tarentum miserunt praesidium quattuor millium ducentorum peditum et ducentorum equitum Polyb. II, 24, 13; devictis enim omnibus, qui circa habitabant, populis, quo pacto resistere potuit misera civitas, quae, ut ait Valerius Maximus II, 2, 5, in praevalidum imperii Romani mucronem caeca et amens irruerat? Idem praesidium videmus Tarenti collocatum initio belli Punici secundi a. u. 537 Polyb. III, 75, 4, portumque navium Romanarum custodiis obsessum. Liv. XXIII, 32. 33. Quid, quod copias adversus Poenos ut mitterent, Tarentini coacti sunt. Liv. XXIV, 13.? Hujusmodi libertatem quum sibi a Romanis concessam esse vidissent, num mirum est, quod Carthaginiensium mallent quam Romanorum imperium perferre? Atque de his ipsis consiliis expositiuri ex rebus in bello

1) Ioann. Juven. de antiq. Tarent. VI, 1-14. De bello Punico secundo probe disseruit Becker in libro „Vorarbeiten zu einer Geschichte des zweiten Punischen Krieges" in Dahlmann Forschungen cet. tom. II. p. 2. cf. Micali Italia tom. IV. pag. 186 sq.

Punico secundo gestis eas deligemus, quae cum ad inferiorem Italiam, tum ad Tarentinam civitatem spectant.

Post splendidam victoriam ad Cannas a. u. 538 reportatam plerique Italiae populi ad Hannibalem transierunt, defecit Graecorum omnis fere ora, Tarentini, Metapontini, Crotonienses Locrique. Liv. XXII, 61. Polyb. III, 118, 2. 3. Zonar. IX, 5. Ac Croton quidem cessit in praedam Bruttiorum a. u. 539. Liv. XXIV, 3. Heyn. opusc. tom. II. pag. 193 sq., incolae Locros abierunt, quos Hannibal in Poenorum societatem acceperat. Liv. XXIV, 1. Unus autem velut morbus invaserat omnes Italiae civitates, ut plebes ab optimatibus dissentirent, senatus Romanis faveret, plebs ad Poenos rem traheret. Liv. XXIV, 2. cf. Bossi histor. Ital. tom. IV. pag. 246 sq. Tarentinorum quidam, quum Locrenses et Crotonienses a Romanis defecisse compertum haberent, ut harum civitatum exempla imitarentur, incitabantur. Itaque Hannibalem, qui juncto foedere cum Philippo Macedone Polyb. VII, 9. Liv. XXIII, 23 et Hieronymo Syracusarum rege, Pyrrhi nepote Liv. XXIV, 6, ad locum Averni commorabatur, a. u. 540 convenerunt quinque nobiles juvenes Tarentini, olim ut Romanorum socii ab eo in captivitatem abducti, sed comiter dimissi, nunc rogaturi, ut exercitum propius Tarentum admoveret, etenim si signa ejus conspecta in urbe essent, haud ullam intercessuram moram, quin urbs dederetur Tarentinae juventutis ope. Hannibal oneratos ingentibus promissis domum redire jussit, nam ipsum magna cupido incesserat Tarenti potiundi. Urbem esse videbat cum opulentam nobilemque tum maritimam et in Macedoniam opportune versam, regemque Philippum hunc portum, si transiret in Italiam, quum Brundisium Romani haberent, petiturum. Liv. XXIV, 13. Sed Romani Tarentum miserant Publium Valerium, ut militibus, quibus L. Apustius legatus Tarenti praeerat, in naves impositis, classe non tueretur solum Italiae oram, sed exploraret de Macedonico bello daretque operam, ut Philippum in regno contineret. Simul pecunia ad classem tuendam bellumque Macedonicum Tarentum devecta est. Liv. XXIII, 38. Hannibal omissa spe Nolae potiundae, rei nunquam prospere tentatae, Tarentum ad certiorem spem proditionis profectus est silentio noctis. Liv. XXIV, 17. Quo pervenit cum maxima omnium, quacunque ierat, clade, in Tarentino demum agro pacatum incedere agmen coepit, neque quidquam ibi violatum, ut magis sibi conciliaret Tarentinorum animos. Ceterum quum propemodo muris accessisset, nullo ad conspectum primi agminis, ut rebatur, motu facto, castra ab urbe ferme passus mille locat. Tarenti triduo ante quam Hannibal ad moenia accederet, a M. Valerio propraetore, qui classi ad Brundisium praeerat cf. Liv. XXIV, 40, missus M. Livius, primore juventute conscripta dispositisque ad omnes por-

tas circaque muros, qua res postulabat, stationibus, die ac nocte plurimum intentus, neque hostibus neque dubiis sociis loci quidquam praebuit ad tentandum. Quare, diebus aliquot frustra ibi absumtis, Hannibal, quum eorum nemo, qui ad locum Averni adissent, aut ipsi venirent, aut nuntium litterasve [2]) mitterent (nempe a Romanis prohibiti), vana promissa se temere secutum cernens castra inde movit Salapiam [3]), qui locus placebat hibernis, spe tamen labefactandae fidei haud abstitit. Comportatum frumentum ex agris Metapontino atque Heracliensi, milites praedatum missi sunt. Liv. XXIV, 20.

Anni sequentis, qui est a. u. 541, aestatem Hannibal in agro Tarentino consumsit spe per proditionem urbis potiundae, deficientibus ad eum oppidis Salentinorum ignobilibus. Eodem tempore in Bruttiis ex duodecim populis, qui anno priore ad Poenos desciverant, Consentini et Thurini in fidem populi Romani redierunt. Liv. XXV, 1. Quum Tarentinorum defectio diu et in spe Hannibali et in suspicione Romanis esset, caussa forte extrinsecus maturandae ejus intervenit. Phileas Tarentinus, qui Romae per speciem legationis erat, vir inquieti animi, aditum sibi ad obsides Tarentinos fidei servandae gratia datos, tunc minore cura custoditos invenit, quos crebris colloquiis sollicitatos, corruptis aedituis duobus, quum primis tenebris custodia eduxisset, Tarracinae comprehensos populus, postquam virgis caesi sunt, de saxo dejici jussit. Liv. XXV, 7. Cujus poenae atrocitas duarum nobilissimarum civitatum, Tarenti et Thuriorum, animos irritavit, quum publice tum etiam singulos privatim, ut quisque tam foedo interemtos aut propinquitate aut amicitia contingebat. Liv. XXV, 8. [4]) cf. fragmentum Polyb. spicileg. lib. VIII. tom. V. pag. 32 Schweigh., servatum a Suida s. v. προσπεσόντων. Ideo urbs quin Hannibali tradenda esset, Tarentini non diutius dubitabant. Quod quomodo factum sit, Polybius [5]), qui paucis post belli Punici secundi finem annis natus est, tam prudenter enarravit, ut rem in brevius contracturi lectores ad eum ablegemus. Conjurati juvenes nobiles Tarentini tredecim numero, quorum principes Nico et Philemenus [6]) erant, nocte per speciem venandi egressi [7]) secreto Hannibalis, ad quem profecti erant, consilio, pe-

---

2) Litteras misisse Hannibalem ad Tarentinos, ut ad se deficerent, colligitur e Zonara IX, 8.

3) Hannibalis amore meretricio nobilitatam. Plin. nat. hist. III, 16.

4) Adde ejusdem libri cap. 15, quo loco apparet, praeter Tarentum Thurios a Livio scribi iratos.

5) VIII, 26-36. Hunc sequitur Livius XXV, 8-11. cf. Appian. Hannibal. 32-34.

6) Quidam Livii codices: Philomenus, corruptione haud dubia. Nomen ΦΙΛΗΜΕΝΟΣ, apud Tarentinos frequens, obvium est in nummo apud Mionnet descr. num. tom. I. pag. 144. Appiano Hannib. 32 homo est ὁ Κονωνεύς. Apud Frontinum III, 3, 6 libri manuscripti variant. cf. Oudendorp ad l. l. Tragiscum quendam Polybius addit VIII, 29, 3.

7) ὡς ἐπ' ἐξοδίαν. Polyb. VIII, 26, 1. cf. 26, 7-27, 1. 4. Suid. s. v. ἐξοδία.

cora Carthaginiensium quasi praedati Tarentum egerunt. Quod quum saepius fecisset Philemenus, qui praeda facta et praefectum et custodes sibi conciliavit, eo consuetudinis adducta res est, ut, quocunque noctis tempore sibilo dedisset signum, porta aperiretur. Iam tempus agendae rei Hannibali visum est, qui quum tridui viam ab urbe abesset, signa movit, et quindecim ferme millium spatio castra ab Tarento posuit, praemissis Numidis fere octoginta, ut praedonum magis quam exercitus accolis species esset. Inde Hannibal concubia nocte movit versus Temenida portam, et quod ipse igne dederat signum, redditum est intra urbem a Nicone, qui, occisis vigilibus, portam aperuit. Alia parte Philemenus, non una enim duntaxat spe rei patrandae niti Hannibal voluerat, per portulam, qua commeare assueverat, aprum ferens intravit in urbem, irrumpente confestim, quod secutum erat, agmine; inde cum silentio in forum ducti Hannibali sese conjunxerunt. Tum occupata sunt itinera maxime frequentia et caesi Romani, qui ad signum tuba datum errore decepti concurrerant, sed Marcus [8]) Livius praefectus ex convivio in arcem effugit. Hospitia Romana direpta, domus, quarum foribus Tarentini nomen inscriptum erat, servatae sunt. Arcem quum vidisset Hannibal esse inexpugnabilem, ne impetum Romani facerent in Tarentinos, vallo et fossa urbem ab arce intersepire statuit. Romani, qui in munientes procursabant [9]), magna caede repulsi sunt, ut opus, nullo prohibente, fieri posset. Ipse Hannibal, urbe relicta, ad Galaesum castra stativa posuit, promiserat enim civibus, antequam urbs tradita est, liberos Tarentinos leges suaque omnia habituros, neque ullum vectigal Poeno pensuros, praesidiumve invitos recepturos esse. Tum arcem expugnare conatus non felicem habuit successum, quoniam Romanis Metaponto praesidium missum est. Quum etiam commeatus adveheretur, Hannibal Tarentinis, ut naves, Romanis arcem tenentibus, in sinu inclusas plaustris [10]) in mare transmitterent super isthmi collum [11]) persuasit. Quo peracto opere, classis Tarentina ante os ipsum portus stationem habens, ne commeatus adveheretur, prohibuit. Haec fere gesta sunt,

8) Caji nomen constanter servant libri Polybiani omnes. Marcum vocat Livius XXIV, 20. XXVI, 39. XXVII, 15. Plutarch. Fab. 23. apophthegm. Fab. 6. Junius dicitur praefectus ab Appiano 32, quae nominum discrepantia unde orta sit, nescio.

9) Pluribus enarravit Appianus Hannib. 33, qui quinque millia Romanorum in arce fuisse affirmat. Satis validum praesidium. Liv. XXV, 15.

10) *πορείοις ὑποτρόχοις*. Polyb. VIII, 36, 11. cf. Henr. Stephan. thesaur. III. col. 180.

11) Strabo VI. p. 285. Tzsch. Eustath. ad Dionys. Perieg. 376. Sil. Ital. XII, 437 sq. Perperam Appianus 34 isthmum perfossum esse scripsit, quod medio demum aevo factum est. Non ab re erit, Ioannem Juvenem commemorasse, qui Gonsalvum Hispaniae ducem, quum Tarentum oppugnaret, naves ex mari aperto plaustris in portum transvexisse, ut facilius urbem adoriretur, auctor est. lib. VII. cap. 3. pag. 132. (Graev. thesaur. antiq. Ital. tom. IX. pag. V.)

quo tempore Hannibal in hiberna, quae prope urbem habuit cf. Liv. XXV, 13, regressus est. Appianus Hannib. 33. Hannibalem arcem Tarentinam Hannoni expugnandam reliquisse scripsit.[12]) cf. Sil. Ital. XII, 434 sq. Ceterum ipsa Livii aetate auctores, Tarentinorum defectio utrum ad annum 541 a. u. c., an ad proxime posteriorem referenda esset, dubitabant; plures, quique aetate sua a rebus gestis non multum aberant, favebant anno 542, iisque cum Livio fides habenda est.

b) TARENTUM DITIONI CARTHAGINIENSIUM PERMISSUM.

Proditionis Tarentinae exemplum Thurini et Metapontini imitati sunt. Quum enim illi annonam et naves mitterent, Tarentini et, qui cum iis erant, Carthaginienses insidiantes ceperunt commeatum et viros cum navibus, Thurinis autem, qui de redimendis captivis cum Tarentinis acturi erant, hi persuaserunt, ut foedus jungerent cum Hannibale, a quo captivi statim redditi sunt. Tum domum reversi legati Thurinorum, ut Hannoni portas aperirent, permoverunt populares; praesidium Romanum abiit Brundusium. Appian. Hannib. 34. Metapontini quoque, quum dimidia pars praesidii Tarentum abisset, reliquis occisis, ad Hannibalem defecerunt; idem fecisse Heraclienses prae metu potius Thurinorum et Tarentinorum quam sua voluntate, edocemur ab Appiano. Contra Hannibal, qui ab Herdonea Tarentum legiones reduxerat, spe arcis Tarentinae aut vi aut dolo potiundae falsus est; idcirco quum res parum procederet, Brundusium iter flexit, proditum iri id oppidum ratus. Ibi quoque quum frustra tereret tempus, legatis Campania promisit, se Capuam obsidione liberare velle. Liv. XXV, 22. Interim Tarentini Romanos praesidio commeatum advehentes arcere non potuerunt, nam Cajus Servilius legatus in Etruriam ad frumentum coemendum missus cum aliquot navibus onustis inter hostium custodias pervenit in portum Tarentinum. Liv. XXV, 15. Extrema igitur aestate anni 543 a. u. c. ex Sicilia classis Punica Bomilcare duce (Liv. 27.) Tarentum adscita est, quae quum omnes aditus, qui sunt a mari ad arcem, clausisset, assidendo diutius arctiorem annonam sociis quam hosti faciebat, non enim quantum frumenti classis ipsa absumebat, tantum subvehi oppidanis per pacata littora poterat. Itaque tandem majore gratia, quam venerat, classis dimissa est. Liv. XXVI, 20. adde fragmentum Polybii, conservatum ab Herone Poliorcetico, lib. IX. tom. V. p. 35 sq., ubi vide acutum Schweighaeuseri judicium. Anno sequente a.

12) Nescio an ad illa tempora pertineat, quod Frontinus III, 17, 3 scripsit, Velium, praefectum Romanorum arcem Tarentinam tenentem, misisse ad Hasdrubalem legatos, uti abire sibi incolumi liceret. Ea simulatione ad securitatem perductum hostem, eruptione facta, cecidit. Sed Velii et Hasdrubalis nomina vereor ne corrupta sint.

u. 544 quum in arce Tarentina inopia vix tolerabilis esset, spem omnem habebat praesidium Romanum in commeatibus a Sicilia missis, qui ut tuto praeterveherentur oram Italiae, classis viginti fere navium, quas magnam partem socii Romanorum Velienses, Rhegini, Paestani subministraverant, Rhegii stabat duce D. Quinctio. Huic ab Rhegio profectae classi Democrates cum pari classe navium Tarentinarum numero, quindecim millia ferme ab urbe ad Sacriportum obvius fuit. Raro alias tantis animis justae concurrerunt classes, quippe quum in majoris discrimen rei, quam ipsae erant pugnarent, Tarentini, ut, recuperata urbe ab Romanis post centesimum [13]) prope annum, arcem etiam liberarent, Romani, ut, retenta possessione arcis, ostenderent, non vi aut virtute, sed proditione ac furto Tarentum amissum. Haec Livius, quem adeas, quo loco proelium commissum enarravit XXVI, 39. Niconis illius, cui Perconi nomen fuit, virtute victoriam Tarentini reportarunt; naves hostium partim in alto mersae, partim in terram remis abreptae mox praedae fuerunt Thurinis Metapontinisque, ex onerariis pleraeque in altum evectae sunt. Nequaquam pari fortuna per eos dies Tarenti res gesta, nam ad quattuor millia hominum frumentatum egressa Livius ex arce emisit C. Persium cum duobus millibus armatorum, qui vage effusos adortus partim cecidit, partim in urbem compulit. Ita aequatae res ad Tarentum, Romanis victoribus terra, Tarentinis mari; frumenti spes, quae in oculis fuerat, utrosque frustrata pariter. Posthac eodem anno M. Ogulnius et P. Aquillius in Etruriam legati ad frumentum coemendum, quod Tarentum portaretur, profecti, et mille milites de exercitu urbano, par numerus Romanorum sociorumque, eodem in praesidium cum frumento missi sunt. Liv. XXVII, 3.

Sequente anno, qui est a. u. 545 [14]), Q. Fabius Maximus Cunctator [15]), quintum consul, ut ad Tarentum rem gereret, missus est. Liv. XXVII, 7. Hannibalem enim duobus annis ante Tarento retinendae Capuae curae submoverant Liv. XXVI, 5. Sil. Ital. XII, 451 sq., nec prospero rerum eventu usus est. Qui Romam versus profectus pauca effecit, nec Rhegium capere potuit. Polyb. IX, 3-7. Liv. XXVI, 5-12. Appian. Hannib. 36-44. Zonar. IX, 6. Quid, quod Capua ipsa in Romanorum ditionem redacta est Liv. XXVI, 12-16. cf. Athen. XII. p. 528, nec deditionem Salapia [16]) recusavit?

13) Immo post sexagesimum secundum.

14) Sic recte annus constitui videtur, sed nihil ad rem Livius XXVII, 25, qui praefectum arcis Tarentinae per quinquennium locum eoque obtinuisse dicit. Osann. anal. crit. pag. 25.

15) Qui Romanis cunctando restituit rem. Enn. ap. Cic. de offic. I, 24. fragm. p. 117 ibiq. not. adde Plin. nat. hist. XXVII, 5. Hunc ipse Hannibal Romanorum Hannibalem esse censuerat. Liv. XXVII, 16. Plutarch. Fab. 23.

16) De iis, quae huic urbi acciderunt, Livium XXVI, 38. XXVII, 28. Appianum 45-47. 51. Zonaram IX, 7. 9. Val. Maximum III, 8 ext. 1. adire operae pretium est.

Contra victa et deleta Herdonea Samnii urbe, cives Thurios et Metapontum Hannibal tradnxit. Liv. XXVII, 1. Appian. 48. Romani ex elade superstites ad Marcellum consulem perfugerunt, qui ex Samnio in Lucaniam transgressus ad Numistronem in conspectu Hannibalis castra posuit, deinde quum aequo Marte pugnatum esset, in Apuliam abeuntem Hannibalem secutus est. Liv. XXVII, 2. Atque haec quidem ex quo tempore Tarentum ceperat, Poeno acciderunt. Hannibalem in Apuliam abisse, Tarentum ut tueretur, probabile est, illa enim urbe amissa, intelligere sibi videbatur, non habere se in Italia, quo tuto staret Liv. XXVII, 12, nec male Livius ibid. 37. amissam Capuam et Tarentum captum Carthaginienses aequasse dicit. Sed Marcellus, qui anno 545 rem proconsule gessit (non enim ab exercitu avocatus erat), dum Fabius Tarentum oppugnat, acerrimo bello Hannibalem detinuit altero proelio victus, victor altero. Liv. XXVII, 12-14. Tandem Hannibal, ut Bruttios peteret coactus est, qui Lucanorum incitati exemplo ad defectionem inclinabantur. Liv. 15, Tarentum vero triginta quinqueremes ex Sicilia ad Q. Fabium mitti jussae sunt, ne classis deesset in oppugnanda urbe. ibid. 7. 22. Accesserunt legiones duae, simul de frumento cogitatum ibid. 8., et Fabio consuli ad quingenta pondo auri ex sanctiore aerario additum est centum, quod in arcem Tarentinam portaretur. 10. Fabius primum Manduriam vi cepit, ibi ad quattuor millia hominum capta et ceterae praedae aliquantum. Inde Tarentum profectus, aliis omissis Polyb. X, 1, 10., in ipsis faucibus portus posuit castra. Liv. XXVII, 15. De urbis expugnatione brevibus dicturi lectorem ablegamus ad narrationem Livianam 15 et 16, cui similia fere tradidit Plutarchus Fab. 21-23. Marcell. 21. respons. Fab. 5, nescio an iisdem, quibus Livius, fontibus [17]) usus, Appianus Hannib. 49. Zonar. IX, 8. Polyaen. VIII, 14, 3. Polyb. XIII, 4, 6 sq. Eutrop. III, 9. Sil. Ital. XV, 320 sq. [18]). Naves igitur, quas Livius — arcem enim is tenebat per tempus proditae urbis et receptae Liv. XXVII, 25. Plutarch. Fab. 23. respons. Fab. 6. Cic. de senectut. 4. de orat. II, 67 — ad tutandos commeatus acceperat, omni apparatu ad oppugnanda moenia necessario Fabius oneravit, ut ab aperto mari urbem aggrederentur, quod quidem, classe Punica in Corcyram contra Philippum, Aetolos oppugnare parantem, transmissa, fieri poterat. Sed Fabium leve dictu momentum ad rem ingentem potiundam adjuvisse dicitur. Praesidii enim Bruttiorum, quod ab Hannibale Tarentinis datum erat, praefectus deperibat amore mulierculae Tarentinae, cujus frater in exercitu Fabii consulis erat. Homo, pro perfuga jussus Tarentum transire, sororis blanditiis perpulit praefectum ad proditionem custodiae loci,

17) Nempe Polybio, quem scripsisse de Tarento a Fabio recepto fragmentum docet X, 1.

18) Ad Tarenti expugnationem fortasse referendum est fragmentum Polybii 18 ex libro X servatum a Suida s. v. πρᾶξις.

cui praepositus erat [19]). Fabius vigilia prima circuito portu ab regione urbis in orientem versa occultus consedit; deinde orto clamore ab arce et a navibus, unde minimum periculi erat, ita falsus est Democrates, antea classis praefectus, ut praesidium ad arcem traduceret. Mox Fabius ubi deductas custodias sensit, allatis scalis, quum Bruttii adjuvarent, in urbem transcendit. Proelium in aditu fori majore impetu quam perseverantia commissum est; terga dederunt Tarentini. Duo ex ducibus Nico et Democrates fortiter pugnantes cecidere, Philemenum ex equo in puteum apertum praecipitasse creditum est. Caesus etiam Karthalo praefectus praesidii Punici, Bruttii quoque multi contra fidem datam (qua de caussa, incertum est) interfecti sunt. Ingens facta praeda, murus, qui urbem ab arce dirimebat, dirutus est ac disjectus. Sic eadem, qua ceperant, arte Tarentum amiserunt Carthaginienses, Fabio Tarentum captum astu magis quam virtute gloriae tamen erat [19 b.]). Liv. XXVII, 20. 25. Huic multae civitates, quae a Romanis ad Hannibalem defecerant, rursus se dediderunt. Entrop. III, 9.

c) RELIQUA PARS BELLI HANNIBALICI.

Sero Hannibal citato agmine Caulonia, ubi cum Fabius artibus suis retinuerat Plutarch. Fab. 22, profectus Metapontum se recepit [20]), frustraque insidias hosti struxit. Liv. XXVII, 16. Missis Romam Tarentinorum legatis, qui pacem peterent cum libertate ac legibus suis, qualis olim data erat post bellum cum Pyrrho gestum, paullo superbius responsum ab senatu est, ut redirent, quum Fabius consul Romam venisset. Liv. XXVII, 21. Actum autem de Tarentinis, qui cum Salentinis provincia evenerant Q. Claudio Flamini Liv. 22, magna contentione in senatu coram Fabio a. u. 546, defendente ipso,

19) Apud Polyaenum l. c. pro Ἀβρέντιος scribendum videtur ὁ Βρέττιος, ut habet Plutarchus Fab. 21., quo tamen scriptoris loco alios aliter rem enarrasse videmus, ut singulis non multum fidei tribui queat. Accedit quod Polybius XIII, 4 tradidit, Heraclidem architectum Tarentinum, hominem pessimae indolis, quum portae, quae ad mediterranea ferebat, claves nactus esset, abisse ad Romanos, quod Tarentinos cum Romanis facere putabat, deinde vero novas cum Tarentinis conditiones agitantem ad Philippum aufugisse, in cujus familiaritatem quum se insinuasset, regnum ejus labefactavit. Athen. VI. p. 251 e (ubi Proclides mutandus est in Heraclidem.). Livius XXXI, 16. 33. XXXII, 5 memorat Heraclidem classi a Philippo rege praefectum. Colligitur ex iis, quae tradita sunt, fuisse inter Tarentinos, qui aegre ferrent Poenorum imperium; confirmat Zonaras IX, 6, qui Tarentinos dicit nondum quidem aperte cum Romanis fecisse, sed clam Carthaginiensibus succensuisse, Capua enim capta, aliquot civitates Italiae Carthaginiensium olim studiosae mutaverant animos. Praeterea constat, Hannibalem plures ex civibus Tarentinis urbe relegasse Liv. XXVII, 35. — Zonaram IX, 8, qui parum probabilia retulit, hoc loco omitto.

19 b.) Tarentum captum recensetur in victoriis Fabii Maximi inscriptione quadam, quam aevi Fabiani non esse stilus clamat. Gruter thesaur. I. pag. 406. 7.

20) Consentit Zonaras l. c., Thurios parum accurate Appianus exhibuit Hannib. 50. De Metaponto Plutarchus Fab. 19 scripsit, antequam de Tarento recepto traderet.

plerisque aequantibus eos Campanorum noxae poenaeque. Senatus consultum in sententiam Manii Acilii factum est, ut oppidum praesidio custodiretur, Tarentinique omnes intra moenia continerentur, res integra postea referretur, quum tranquillior status Italiae esset. Liv. XXVII, 25. Quippe enim versabatur Hannibal [21]) circa agrum Tarentinum et hoc et sequente anno, neque ejus insidias exercitus Romani pars Tarento Locros accita vitaverat. Liv. 26. Marcello ipso in pugna caeso Liv. 27. Plutarch. Marcell. 29, Crispinus collega sollicitus erat, ne Hannibal ex Bruttiis, ubi Locrorum obsidionem solverat Liv. 28, Tarentum agmen converteret, jussit igitur senatus consulem Tarentum proficisci Liv. 29. At Crispinus exitu anni 546 quum Tarenti, vel, ut alii tradiderunt, in Campania mortuus esset Liv. 33., Tarentum missus est ad exercitum C. Hostilius, qui Etruriam provinciam habuerat. Tum cives Tarentini, quos Hannibal relegaverat, acciti sunt in patriam, sua omnia, quae ante bellum habuissent, a populo Romano accepturi. Liv 35. Quum Capuam iret Hostilius Liv. l. c., in ejus locum Q. Claudius [22]) suffectus est cum duabus legionibus Liv. 36. 38., qui per urbes agri Salentini castra disposuit. Movit igitur initio anni 547 Hannibal nocte castra ex agro Tarentino, ne cum duobus C. Hostilii Tubuli Capuam petentis et Q. Claudii exercitibus simul confligeret, et concessit in Bruttios. Liv. 40. Inde Venusiam regressurus, quum Metapontum cederet, missas litteras ab Hasdrubale, qui a Placentiae obsidione abscesserat, non accepit, quoniam Numidas incertis itineribus Tarentum delatos ad Q. Claudium propraetorem pabulatores Romani deduxerant. Liv. 43. Mox ipse Hasdrubal occisus est Liv. 40. Polyb. XI, 1. 2, cujus caput quum vidisset Hannibal, agnoscere se fortunam Carthaginis fertur dixisse, quo factum est, ut omnia auxilia in extremum Italiae angulum contraheret. Liv. 51. Flor. II, 6. Vario deinde successu adversis, quam secundis rebus mirabilior (Liv. XXVIII, 12) pugnavit. Liv. XXXIX, 7. 36, donec anno u. c. 551 ex Italia Carthaginem revocatus est. Liv. XXX, 20. Tum finem habuit bellum, quo regiones fertilissimae civitatesque beatissimae crudeliter devastatae sunt. cf. Micali Italia tom. IV. pag. 202 sq.

5) TEMPORA BELLUM PUNICUM SECUNDUM INSECUTA [1]).

Italia, postquam Hannibal excessit, ad feliciorem conditionem adacta est, de Tarentinis autem Romani quid decreverint, quum Livius XXXI, 29 hoc tantum

21) Cui quid postmodum in Italia acciderit, Appianus cap. 50 sq. enarravit, ne saepius eundem scriptorem excitem.

22) Cui ut Tarentum provinciam haberet, imperium etiam in sequentem annum prorogatum est. Liv. XXVIII, 10. Anno belli Punici quinto decimo, qui est a. u. 450, Titus Quinctius pro praetore, sicut priore anno, cum vetere praesidio obtinuit Tarentum. Liv. XXIX, 13.

1) Cf. Ioann. Juven. de antiq. Tarent. VI, 15.

dicat, subjectum esse Tarentum Romano imperio, quod jam finitimarum Romae urbium ruinis antea creverat, non satis constat. Bello Hannibalico Tarentinos libertate spoliatos esse, etiam Strabo VI. p. 292 Tzsch. auctor est. Secuta sunt bella Macedonica, bellum Syriacum, Punicum tertium, Achaicum, Hispaniense, alia, quibus flagrantibus praesidio militari Tarentum Romani perpetuo continuisse videntur. Atque hoc quidem modo statuendum est de temporibus belli adversus Antiochum gesti [2]), cum Italiae Romani metuebant. Appian. Syr. 15. cf. Liv. XXXVI, 2, nam hoc facile cognoverant qui imperio praeerant, *Τάραντα εἶναι εὔκαιρον ἐς πολέμους χωρίον καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλασσαν.* App. Hannib. 49. Anno urbis 567 Tarentum provinciam habuit Appius Claudius praetor Liv. XXXVIII, 42, biennio post L. Postumius, qui, quum in Apulia magnus motus servilis esset, de conjuratione pastorum, qui vias latrociniis pascuaque publica infesta habuerant, quaestionem severe exercuit. Ad septem millia hominum is condemnavit, multi inde fugerunt, de multis sumtum est supplicium. Liv. XXXIX, 29. Quid quod agri Tarentini partem publicam factam esse populi Romani, ejusque ducenta jugera data esse Onesimo Macedoni 585 a. u. c., ex ejusdem Livii libro XLIV, 16 novimus? Gracchorum tempore colonia Romana, nescio an primum, Tarentum deducta est anno sequente post consulatum Cassii Longini et Sextii Calvini, qui fuit a. u. 631 Vellej. I, 15, 4, quo anno item deductae sunt coloniae Scylacium, Minervium, Neptuniam, Carthaginem. v. intpp. ad Vellej. l. c. Cajum Gracchum colonias Tarentum et Capuam eo consilio misisse, ut plebem Romanam coerceret, disertis verbis Plutarchus C. Gracch. 8 tradidit. cf. Aurel. Vict. de vir. illustr. 65. Idcirco Frontinus de coloniis pag. 110 Goes. territorium Tarentinum, Lypiense, Austranum, Varium in jugera N. CC. limitibus Gracchanis divisum esse scribit. Tarentina colonia maritima fuit Plin. nat. hist. III, 16, qua in urbem recepta, quiete et melius atque olim vixisse Tarentinos, Strabo VI. p. 292 Tzsch. testis est. Quibus geographi clarissimi verbis, si cetera, quae Tarentinis Romanorum sub auspiciis evenerint, silentio praeterimus, excusatos nos velimus, sunt enim eorum potius quam Tarentini Romani auctores, quorum historiis devictarum gentium plurimarum res gestae una continentur. De statu Tarentinorum civili, qualis istis temporibus fuerit, partim quod proditum est memoriae, partim quod conjectura assequi licet, olim exposuimus. Hoc tantum commemorandum est, anno p. C. n. sexagesimo primo, Nerone imperante, veteranos Tarentum et Antium adscriptos esse, non tamen infrequentiae locorum subvenisse, dilapsis pluribus in provincias, in quibus stipendia expleverant. Tacit. Annal. XIV, 27. cf. Sueton. Nero 9. Alia fuit ratio posterioris aetatis, Paullus enim Diaconus hist. Langob. II, 21. Tarentum recenset inter urbes Alboini Langobardorum regis tempore satis opulentas. Sed quae per medium aevum, quod vocant, post imperii Romani occidentalis excidium apud Tarentinos gesta sunt, ea exponere neque instituti nostri neque operae pretium est. Redeunt fere omnia ad historiam universam Calabriae [3]), cui fontes uberiores profluunt, nec dissimulavit res gestas Ioannes Juvenis historiae Tarentinae, quam scripsit, libro septimo. Apud hunc auctorem legas, quid Gothorum (Procopium vide), quid Langobardorum tempore Tarenti acciderit, quanta et quam atrocia Saraceni patraverint, a Normannis qua ratione principatus Tarentinus constitutus sit, ad quas deinde principum familias imperium pervenerit, donec in ditionem hanc terram cepit Ferdinandus I a regia Aragonensium stirpe oriundus. Quae deinde sequuntur in historiam regni Neapolitani cadunt, verum idem Ioannes Juvenis scriptor Tarentinus multa etiam retulit de ecclesia Tarentina historiae libro VIII, quam conditam sibi persuasit ab ipso Petro apostolo. Sunt haec omnia ita comparata, ut verbo potius adumbremus, quam diligentius exponamus.

2) Nec minus de posterioribus temporibus Caesaris et Pompeji App. bell. civil. II, 40 et Vitellii imperatoris confirmandum. Tacit. hist. II, 83.

3) Vide succinctam rerum in Calabria gestarum narrationem apud Bartels epistol. de Calabria script. tom. I. pag. 46 sq.